De itinerario Aetheriae abbatissae perperam nomini s. Silviae addicto

ad veniam legendi a summo philosophorum ordine impetrandam

disputavit

et ad scholam quae de re proposita

„*Volkslatein und Schriftlatein*“

die XXVI. mensis Aprilis hora XII. in auditorio XXXIV. habebitur

rite invitat

Carolus Meister Lipsiensis.

Bonnae
typis Caroli Georgi typographi academici
MDCCCCIX

IVSTO HERMANNO LIPSIO
CAROLO BRVGMANNO

Conspectus.

DE ITINERARIO AETHERIAE ABBATISSAE PERPERAM NOMINI S. SILVIAE ADDICTO

Silviae personatae ad loca sancta peregrinationi ut operam darem, specie sermonis vulgaris adductus sum qua inter scripta imperio Romano non recentiora praestare videbatur. Quanquam mox hunc libellum mihi persuasi neque quarto ut doctorum opinio fert saeculo compositum esse, sed sexto, neque pura puta dictionis vulgaritate scriptum sed Latinitate a scripturis sacris non nimis distanti. Nam haec quoque auctor stilum non in gremio matris, sed in subselliis scholae didicit et verba formas compositiones magis ex libris quam ex confabulationibus hominum hausit. Quare vivi nativique sermonis non tam imago sed quasi umbra quaedam est, sed umbra ea quidem qua non solum omnis vulgaris linguae natura, sed etiam quaedam Galliae australis dialecti peculiaria dignoscantur. Itaque Aetheriae abbatissae itinerarium propter res et argumenta saepe laudatum ne ab eis quidem qui linguarum historiae student, neglectum iri, licet aliquid falsi pretii detractum sit, spero et confido.

Opusculo huic faverunt cum R. Heinze, J. Lipsius, C. Brugmann praeceptores, J. Windisch amicus, P. Vetter olim collega, Ludovicus frater, tum pater meus, quibus gratias ago maximas. Bibliothecam vero Universitatis Lipsiensis opibus suis uti liberalissime mihi permisisse grato animo profiteor.

I
De Aetheriae abbatissae nomine et dignitate

Franciscus Gamurrini qui princeps anno 1887 hanc itinerarii partem codicis Arretini beneficio servatam in lucem protulit, falso nomine peregrinationis s. Silviae inscripsit. Nam cum feminam sanctimonialem eluceret auctorem esse, nomen vero non exstaret neque aetas neque patria apertis significaretur verbis,

vir doctus ille Italus eam quae conscripsit, ex Gallia australi oriundam annis fere 386—388 iter fecisse ratus eandem esse voluit atque Silviam, ascetriam et Rufini Aquitani sororem, penes quem Theodosio Arcadioque regnantibus summa rerum fuit. Hanc enim illis fere annis Hierosolymis in Aegyptum profectam esse contendit revocans ad Palladium, monasticarum fabularum Lauso cuidam donatarum scriptorem (hist. Laus. cap. 55).

Sed Gamurrinio haud secus contigit ac multis qui quid primi ediderunt: quae construxit caduca sunt. Nam nomen illius virginis quae a Palladio praedicatur ob castum nostra aetate magis inauditum quam antiquitate — numquam enim se lautam esse, numquam in lecto recubuisse sexagenaria ostentans inducitur — nomen dico illius codicibus Graecis historiae Lausiacae non *Silvia* traditum est, sed Σιλβανία vel Σιλβίνα, cum forma, quae Gamurrinio placuit, tantummodo in versione Latina exstet[1]. Gravius est quod neque soror Rufini fuit, sed Palladio ipso auctore uxoris soror ita ut nihil sit cur eam Aquitanam habeamus, neque annis 386—388 peregrinationem illam suscepisse videtur, si modo Dom Butler editor recte computavit[2]. Sed quid plura de his erroribus, cum illam Silvaniam vel Silvinam nihil ad hoc itinerarium pertinere iam constet? Nempe paucos ante annos Dom Ferotin et Dom Lambert uterque O. S. B. uterque quod videtur sui Mabillonii doctrinae aliquid complexus iam verum auctorem indagavit[3]. Qui epistulam abhinc iam 150 annos typis expressam[4] sed quae inter vastam litterarum ecclesiasticarum silvam paene oblivione obruta erat, invenerunt qua et argumentum totius fere huius peregrinationis adumbratur et auctor nominatur. Scripsit eam Valerius abbas Hispanus aut sane Gallaecus qui se Asturicensi ex provincia natum in montibus Bergidensis territorii prope Asturicam oppidum vel solitarium vel una cum discipulis degisse suis ipse narrationibus non iniucunde exposuit[5], VII. autem saeculo posteriore fuit, siquidem aequalem sibi fuisse narrat Isidorum

[1] The Lausiae history of Palladius by Dom Cuthbert Butler. Cambridge 1898 and 1904 (Texts and Studies etc. ed. by Robinson. vol. VI 1. 2).

[2] l. l. 1, 296.

[3] Férotin, Revue des questions historiques 74 (1903) p. 367 sqq.

[4] ed. Florez, España sagrada XVI (Madrid 1762) p. 366 sqq., inde Migne PL 87, 421 sqq.

[5] Florez, España sagrada XVI p. 391 sqq.; inde MPL 87 col. 439 sqq.

episcopum Asturicensem qui Bracarensi synodo anno 675 habitae subscripsit[1]. Idem illam epistulam fratribus Bergidensibus dedit, ut specimine fortissimae mulieris sacrum eorum studium inflammaret. Nomen autem eius quanquam in tribus libris quaternis locis legitur, tamen ubique aliquantulum depravatum est. Nam teste Ferotino in codice Carracedensi[2] scriptum erat partim *Etheria*, partim *Echeria*, in Toletano anno 902 confecto *Egeria*, in Escurialensi anno 954 confecto plerumque *Eicheria* legitur, uno autem loco *Aeiheria* atque in alto paginae *Egeria*.

Ad Valerii codices accedit huius libri titulus '*itinerarium Egeriae abbatissae*' a Lamberto in tribus catalogis Lemovicensibus XII. XIII. saeculi inventus. Item in librorum indice monasterii 'San-Salvador de Celanova' Gallaecani anno 935 exarato '*Ingerarium Geriae*' Ferotino auctore commemoratur.

In tanta scripturarum varietate id quod solum nomen est *Egeria* huic auctori non convenit quoniam praeter nympham Numae nulla femina sic vocata esse videtur quam sciamus neque *Egerium* quemquam nisi antiquissimis saeculis compertum habeo. Itaque docti in duas partes discesserunt: alteri enim quorum dux cunctans quidem Ferotinus fuit, codicis Carracedensis *Etheria* sive integrum acceperunt sive magis Latine vel Graece in *Aetheria* correxerunt. Alteri *Eucheriam* nominare maluerunt[3], quam cognatione cum Flavio Eucherio consule anni 381 coniunctam fuisse coniecerunt. Quam suspicionem ab aetate huis itinerarii alienam esse cum infra demonstraturus sim, non habemus cur hoc nomen quod magis a traditis recedit, illi praeferamus. Nam ut saepe et in Valerii libris et in catalogis *e* pro *ae* scriptum est, ita in eadem epistula 'eam in choro sanctarum virginum etherea regna hereditaturam esse' legitur quo loco abbatem eloquentem beatae abbatissae nomen notasse Ferotinus merito suspicatus est Neve nimis in eo haereas quo pacto ex *Etheria* corruptela *Egeria* nata sit, utramque litteram *t* et *g* inter vocales positam in lingua volgari plerumque aut commutatam esse aut obmutuisse fac memineris. In indice autem Celanovensi non solum *Geriae*, sed etiam *ingerarium* pro *itinerarium* legi iam Ferotinus monuit.

---

[1] Mansi, conciliorum collectio. Florentiae 1759 sqq. XI col. 159.

[2] Florez apographo codicum Carracedensis Toletanique usus est qui perisse videntur, cum apographum illud nunc in bibliotheca Matritensi sit. Escurialensem Ferotinus primus adhibuit.

[3] Ut nuperrime Wilmart, Revue Bénédictine 25 (1908) p. 458 sqq.

Nomen vero *Aetheriae* non potest ut sexto saeculo in Galliis rarum fuerit[1].

Nam duas Aetherias inveni, utramque in Gallia quarum altera in epistula Theodorici regis a Cassiodoro a. 508/11 composita et in Ennodii litteris commemoratur[2], altera ab Albino episcopo suo Andecavensi qui anno 550 obiit servata est, teste Venantio Fortunato[3].

Aetherius vero nomen cum in Gallia frequentissimum fuit tum in Hispania occurrit. Inveni primum in carmine sepulcrali Viennensi hominis etiam antiquae religioni quod videtur dediti[4]. Accedunt multi Christiani: Unus V. saeculo ineunte a Sulpicio Severo dial. II (III) 1, 4 memoratus, alter filius Victorini rhetoris Massiliensis qui Theodosio et Valentiniano regnantibus mortuus est (Gennadius de vir. ill. cap. 61), tertius pater s. Patrocli quem anno 506 in Biturigum territorio natum esse Gregorius Turonensis memoriae tradidit[5], deïnde nonnulli episcopi VI. VII. saeculi Lixoensis[6], Lugdunensis[7], Viennensis[8], Carnutensis[9], Ebredunensis[10], posterioris autem aetatis Vivariensis qui anno 876 nominatur[11].

Hispanienses praeter Aetherium episcopum Osmensem VIII. saeculi haud ignobilem quem iam Ferotinus citavit nomino cubicularium quendam qui anno 653 in actis concilii Toletani VIII. invenitur[12] et episcopum ecclesiae Bastitanae qui anno 675 concilio alteri Toletano subscripsit[13].

Multo quin Aetheriorum numerus augeretur, non dubito si medii aevi litteras et monumenta magis perscrutarer, sed hoc nomen frequenter usurpatum esse iam satis demonstrasse mihi videor.

---

1 Cf. Thesaur. ling. lat. s. v. Aetherius: 'Longe plurimi episcopi Christiani Galliae'.

2 MG AA XII 120, 2. VII 288, 6. 12.

3 Vita s. Albini cap. 12. MG AA IV 2.

4 CIL XII 1932 = Bücheler Carm. Lat. Ep. 1476 qui titulum saeculo IV. priorem non esse argumentis parum firmis voluit.

5 MG Script. aet. Merov. I 1 p. 702, 25 sqq.

6 ibid. p. 244, 25.

7 ibid. p. 399, 20.

8 Gesta Dagoberti ibid. II p. 425, 11.

9 Vita Leobini 8, 25. MG AA IV 2 p. 76.

10 MG leg. III 1 p. 213, 23.

11 MG leg. Franc. II p. 349, 31 sqq.

12 MG leg. Visigoth. p. 485, 39.

13 Mansi conc. coll. XI coll. 147.

Dignitas Aetheriae et catalogis Lemovicensibus tradita est et indice librorum Casinensi anni 1532, in quo inter ceteras inscriptiones 'alius inc. Abatissa' legitur[1]. Itaque hoc itinerarium epistolarum consuetudine dubito an ab his fere verbis coeperit: 'Abbatissa Aetheria dominis venerabilibus sororibus[2]'. Argumenta vero omnia melius conveniunt cum muliere sanctimoniali quam historici optaverint. Nam ut 'monachorum alias fabulas esse' negat 'nisi aut de scripturis Dei aut gesta monachorum maiorum' (c. 20, 13), ita ipsa nihil tota peregrinatione videtur nisi res locaque sacra curasse. Sed cum multa de religione, institutionibus, aedibus sacris tradiderit, accuratius definire qua aetate scripserit haud parvi interest.

II
De aetate Aetheriae

Silviam illam Gamurrinianam hoc itinerarium non composuisse quamquam nunc constat, tamen viri docti aetatem qua primus editor auctorem peregrinatam esse demonstrare conatus est, nunc quoque obtinuerunt, ita ut Aetheriae itinerarium IV. saeculo exeunte compositum esse statuant. Nam qui aliter senserunt, non probaverunt quae coniecerunt[3]. Paulus Geyer ipse quoque qui Arch. lat. Lex. XV, 252 sqq. de hac re disseruit, abbatissam inter annos 378 et 388 libellum scripsisse posuit. Primum igitur satisne valeant argumenta Gamurrinii, videamus. Ratiocinatus autem est hoc modo:

Peregrina haec cum in Mesopotamia usque ad fines paene imperii, Carrhas dico, pervenerit ibique in ecclesia quam in funda-

---

[1] Cf. Wilmart l. l.

[2] Bis sorores 'dominas venerabiles' vocat (c. 12, 7. 20, 5). Atque adnotandum est Caesarium Arelatensem episcopum († 542) abbatissam 'sanctam' alloqui, praepositam 'venerabilem'. Cf. Arnold, Caesarius v. Arles. Leipzig 1894. S. 412.

[3] Henri Duval v. p. 356 adn. 3. — Chabot, De S. Isaaci Ninivitae vita etc. Lovanii 1892 thesi LXV peregrinationem hanc saeculo sexto non antiquiorem esse contendit aliquibus documentis historicis praesertim Syriacis nisus quem tamen opinionem suam paene deseruisse Cabrol, Les Églises de Jérusalem Oaris et Poitiers 1895 p. 4 adn. 2 commemorat. In suspicionem quoque vocavit Gamurrinii opinionem serioremque Aetheriae aetatem commendavit vir de rebus orientalibus optime meritus Clermont-Ganneau, Recueil d'archéologie Orient. t. VI p. 128 sqq. (Paris 1905) qui tamen nullo certo argumento invento rem in medio reliquit.

mentis domus Abrahae exstructam esse homines dixerunt, oratione facta locoque libri Genesis lecto pium compleverit desiderium, de Ur quoque patria Abrahae episcopum Carrhensem interrogat. Tum ille haec facit verba (cap. 20, 12): 'Locus ille, filia, quem requiris, decima mansione est hinc intus in Persida. Nam hinc usque ad *Nisibin* mansiones sunt quinque et inde usque ad *Hur* quae fuit civitas Chaldaeorum, aliae mansiones sunt quinque; sed modo ibi accessus Romanorum non est; *totum enim illud Persae tenent*'.

Hinc Gamurrini vocabulum 'modo' nimis urgens non multo antequam episcopus haec dicens fingeretur, Persas hanc terram occupavisse sumpsit. Atque cum imperator Iovianus Iuliano mortuo anno 363 Nisibin Persis concessisset[1], non multo post hanc peregrinationem factam esse collegit. Quid vero? Nonne hoc audacius quam verius? Nam ut omittam hoc loco de Ur oppido rem esse, non de Nisibi obiter nominata, ex verbo 'modo' minime efficiendum est paulo antequam haec dicerentur scriberenturve, Romanos Nisibin accedere potuisse. Eadem enim Aetheria saepius verbis 'modo' vel 'nunc' utitur, ubi nihil ad proxima tempora pertinent. Velut c. 20, 1: 'Necesse me fuit . . . accedere usque ad Carrhis, *quia modo sic dicitur*. Nam[2] in scripturis sanctis dicta est Charra, ubi moratus est sanctus 'Abraam'. Vel in capite 7, 7: 'Heroum autem civitas quae fuit illo tempore, id est ubi occurrit Ioseph patri suo Iacob venienti sicut scriptum est in libro Genesis, *nunc est come*, sed grandis quod nos dicimus vicus'.

Num quis his ex locis vocabulis *modo* et *nunc* confisus paucis ante annis illud oppidum Carrhas vocatas esse pro Carrha, Heroum autem paulo ante ex oppido in vicum commutatum esse colligit? Non ego. Itaque primum argumentum mittendum est.

Secundum tertiumque Gamurrini ex eis quae in itinerario de primaria ecclesia Edessae narrantur coegit. En sunt Aetheriae verba (c. 17, 1): 'Volui iubente Deo etiam et ad Mesopotamiam Syriae accedere ad visendos sanctos monachos . . . . nec non etiam et gratia orationis ad martyrium sancti Thomae apostoli, ubi corpus illius integrum positum est, id est apud Edessam[3], quem se illuc missurum posteaquam in caelis ascendisset, Deus noster

---

[1] Clinton, Fasti Romani. Oxford 1845.

[2] = δέ. Cf. indicem Geyeri in editione Vindobonensi.

[3] = Edessae, optimorum quidem auctorum oratione.

Iesus testatus est per epistolam quam ad Abgarum[1] regem per Ananiam cursorem misit, quaeque epistola cum grandi reverentia apud Edessam civitatem, ubi est ipsud martyrium, custoditur'.

Deïnde itinere ab Hierosolymis usque ad Bathnas enarrato ita pergit (cap. 19, 2):

'Unde denuo proficiscens pervenimus in nomine Christi Dei nostri Edessam. Ubi cum pervenissemus, statim perreximus ad ecclesiam et ad martyrium sancti Thomae. Itaque ergo iuxta consuetudinem factis orationibus et cetera quae consuetudo erat fieri in locis sanctis, nec non etiam et aliquanta ipsius sancti Thomae legimus. Ecclesia autem ibi quae est, ingens et valde pulchra et nova dispositione et (cod. ut) vere digna est, esse domus Dei, et quoniam erant quae ibi desiderabam videre, necesse me fuit ibi stativa triduana facere. Ac sic ergo vidi in eadem civitate martyria plurima nec non et sanctos monachos commanentes alios per martyria, alios longius de civitate in secretioribus locis habentes monasteria.'

Duo ut dixi argumenta hoc ex loco Gamurrini collegit. Unum inde effecit quod martyrium sancti Thomae peregrina teste non in ecclesia tunc fuisse opinatus est. Nam cum sancta apostoli ossa anno 394 in ecclesia primaria Edessena condita esse sumeret[2], peregrinam ante hunc annum Edessae fuisse contendit. Sed fac hanc stare opinionem quae nihil certa est[3]: tamen ex Aetheriae

[1] Aggarum in codice.

[2] Hoc traditum est cum aliis locis tum in Chronico Edesseno (no. XXXVIII), libro summi pretii et quo res Edessenae ab anno 201 usque ad 540 Syriaca lingua enumerantur. Edidit Assemani in Bibliotheca Orientali Romae 1779 cum versione Latina; denuo Hallier (Gebhardt u. Harnack, Texte u. Untersuchungen IX 1893) edidit, Germanice vertit, commentatus est; postremo Guidi, Corpus Scriptorum Christianorum Orientalium. Ser. 3, tom. 4, Paris. 1903 cum translatione Latina.

[3] Chronographus enim modo laudatus scripsit, ut viri docti Hallier versionem sequar: 'Am 22. Ab[i] des Jahres 705 brachte man den Sarkophag (γλωσσοκόμον) des Apostels Mâr[i] Thomas in seinen grossen Tempel, in den Tagen des Bischofs Mâr[i] Ḳûrê'. Usus autem est non eo vocabulo quo ceteris locis ecclesiam Edessenam primariam significat (*ʿīdtā*), sed eo quo templum Hierosolymitanum ostenditur (*haikᵉlā*). Syriaca verba Iohannes Windisch mecum communicavit. Aliam ecclesiam anno 313 aedificatam fuisse, aliud Thomae templum Baumstark, Oriens Christianus IV 164 sqq. posuit, Hallieri opinione neglecta, qui utrumque idem esse vult.

verbis martyrium Thomae ab ecclesia seiunctam fuisse nihil sequitur. Martyria enim et suo divo posita abbatissa describit et in ecclesiis collocata. Velut in illa Carrharum ecclesia quae Abrahae domus in fundamentis exstructa est, martyrium sancti cuiusdam monachi Elpidii est (cap. 20, 5). Sanctae Theclae vero de martyrio Aetheria haec narrat (cap. 22, 2 sqq.):

'Sed quoniam de Tharso tertia mansione, id est in Hisauria, est *martyrium sanctae Teclae*, gratum fuit satis, ut etiam illuc accederem .... Ibi autem *ad sanctam ecclesiam* nichil aliud est nisi monasteria .... Monasteria ergo plurima sunt ibi per ipsum collem et in medio murus ingens qui includet *ecclesiam in qua est martyrium* quod martyrium satis pulchrum est. Propterea autem murus missus est *ad custodiendam ecclesiam* propter Hisauros .... Ibi ergo cum venissem in nomine Dei, facta oratione *ad martyrium* nec non etiam et lecta omnia acta [1] sanctae Theclae gratias Christo Deo nostro egi infinitas.'

Quod autem Aetheria l. l. scripsit: 'ibi (Edessam dicit) cum venissemus, statim perreximus ad ecclesiam et ad martyrium sancti Thomae', hinc alio loco fuisse ecclesiam, alio martyrium conficere noli. Quid enim? In bibliis sacris, quorum ad orationis similitudinem ipsa suam confinxit (v. cap. IV), nonne saepe coniunguntur voce *et* ea verba quorum prius posteriore quodammodo accuratius definiatur? Nonne saepius id adiungitur cuius sententia priore contineatur? Exemplo utar quod in hac ipsa peregrinatione laudatum est (c. 20, 1), cum Deus Abrahae dicat: 'Exi de terra tua et de domo patris tui et vade in Charram' (Gen. 12, 1) quamquam Aetheria parum accurate haec verba attulit. Vel Gen. 32, 9 Dominus ad Iacob loquitur: 'Revertere in terram tuam et in locum nativitatis tuae'. Vel suis ipsius Aetheria verbis dicit (c. 20, 5): 'Ad quam diem necesse fuit undique et de omnibus Mesopotamiae finibus omnes monachos in Carrha(s) descendere' [2]. Itaque ut 'domus patris tui' aut 'locus nativitatis tuae', in voce 'terra tua' insunt, 'omnes Mesopotamiae fines' in vocabulo 'undique', ita nihil obstat quin martyrium sancti Thomae ipsa ecclesia contineri censeamus. Quare ne

---

[1] Codex: lecta' omnia (corr. in omni) actus. Gam., Geyer: lectus omnis actus.

[2] Ut huiusmodi locis *et* fere idem atque *id est* valet, ita vice versa *id est* legitur ubi *et* exspectes (c. 14, 2): 'Ait nobis ille sanctus presbyter iam senior et de scripturis bene instructus, *id est* qui ipsi loco praeerat ex monacho.'

alterum quidem stat argumentum quo docti aetatem huius itinerarii definiverunt.

Iam tertium infirmemus diluamusque inde coactum quod ecclesia Edessena loco iam commemorato 'nova dispositione' esse dicitur. Nam ecclesiam illam paulo antequam Aetheria Edessam veniret constructam esse Gamurrini cum coniceret, nescio quo seductus errore eam anno 372 Valente imperatore aedificatam esse contendit nec falso duci grex defuit. Atqui apud Socratem hist. eccl. IV 18 ad quem iste cum assentatoribus revocat traditum est anno 372 illam ecclesiam iam frequentatam esse a populo catholico, non aedificatam. En habes Socratis verba quae quaeso ipse examines[1]: Λεκτέον δὲ οἷα καὶ ἐν Ἐδέσ(σ)ῃ τῆς Μεσοποταμίας ἐγένετο. ἐν δὲ τῇδε τῇ πόλει Θωμᾶ τοῦ ἀποστόλου μαρτύριόν ἐστι λαμπρὸν καὶ περιφανές, συνεχεῖς τε ἐν αὐτῷ συνάξεις ἐπιτελοῦνται διὰ τὴν τοῦ τόπου ἁγιότητα. Τοῦτο ἱστορῆσαι ὁ βασιλεὺς Οὐάλης θελήσας καὶ μαθὼν πᾶν τῆς αὐτοῦ ἀπεχθεῖς αἱρέσεως εἶναι τῶν συνερχομένων τὸ πλῆθος, λέγεται τῇ χειρὶ πλῆξαι τὸν ὕπαρχον ὅτι μὴ προὐνόησε ἐξελάσαι κἀκεῖθεν αὐτούς. Deïnde Socrates mulierem quandam operam dedisse narrat, ut ipsa cum puerolo ab Arianis fidei causa catholicae occideretur id quod idem Iuliano Tyranno accidisse dicitur[2], imperatorem autem commotum esse ut a persecutione catholicorum desisteret. De aedificatione vero ecclesiae ne verbum quidem fit.

Itaque si ille scriptor hoc capite veritati accurate responderet, sequeretur ut ecclesia Thomae iam ante 372 aedificata sit quot autem annis ante, incertum esset. Sed cum in narratione Socratis eo iam suspicio moveatur, quod martyrium Thomae tunc, anno 372, nominatur — ossa enim huius apostoli anno demum 394 in ecclesiam translata esse supra diximus —, eius fides plane confringitur eo quod hac in re Rufinus ab eo discrepat qui in historia ecclesiastica Eusebii continuata XI 5 similia tradidit. Ille enim quem sibi inter principes auctores esse Socrates h. eccl. II cap. 1 ipse profitetur, narrat Valentem imperatorem impedire studuisse ne fideles cum eos ecclesiis seclusisset in campo conventiones haberent, Thomae martyrium non commemorat. Itaque de ecclesia illa Socrati nulla fides est, si verus esset, nihil de aedificatione sequeretur nisi ut ante 372 exstructa sit.

---

[1] Socratis eccl. hist. ed. Hussey. Oxonii 1853.

[2] Hussey ad l. l.

Immo quibus annis Edessae ecclesia condita perfectaque sit, optimo ex fonte repetere licet. Nam certissimis chronici Edesseni testimoniis (l. l. n. XII. XIV) anno Seleucidarum 614 (= anno Christi 312/13) eius fundamenta posita esse, deïnde a Saad episcopo eam absolutam esse qui anno Seleucidarum 635 vel 636 (= anno Christi 324/25 vel 325/26) mortuus est, compertum habemus. Itaque hanc ecclesiam ante Septembrem mensem anni 326 perfectam esse apparet.

Iam primariis doctorum profligatis argumentis, secundariis quae ab illis pendent, nihil valentibus, denuo ad quam aetatem hoc itinerarium referendum sit, quaeramus. Sed primum quid vox illa 'ecclesia . . . nova dispositione' significet, statuendum est.

Locum plane gemellum in libello geographo IV. saeculi medii inveni quem post Riesium (geog. lat. min. p. 104 sqq.) Sinko denuo edidit (Archiv f. lat. Lex. XIV, 543 sqq.). Ibi c. 8, 35: 'Alexandria autem civitas est valde maxima et *eminens in dispositione* et habundans omnibus bonis . . . templum Serapis ibi est, unum e[s]t solum spectaculum novum in omni mundo: nusquam enim terrae aut aedificium aut *dispositio templi* . . . ⟨talis⟩ invenitur.' Simili notione Sulpicius Severus dial. I 18 hoc verbum adhibet, cum 'monasterium magnae dispositionis' dicat [1].

Itaque horum locorum ex similitudine 'ecclesia nova dispositione' intellegenda est ecclesia recens constructa. De priore vero illa ecclesiae constructione IV. saeculo ineunte facta ne cogitari quidem potest. Neque enim quae Aetheria describit, in Constantini Constantiive tempora conveniunt. Iam Christiani Aetheriae aetate imperium Romanum obtinent paganis paene repressis exstinctisque cum ei memorabile videatur Carrhis in confinio Persarum sitis ubi etiam anno 540 maxima habitantium pars antiquae suae religioni addicta a Christianismo abhorruit (Procop. de bell. II, 13 p. 120 A), praeter paucos clericos monachosque se nullum Christianum hominem invenisse (c. 20, 8). Atqui in hoc oppido adhuc quamvis gentili et in extremo imperio collocato episcopum et unam ecclesiam et alteram iuxta oppidum ecclesiam et multos monachos in suburbanis Aetheria repperit (c. 20, 2 sqq.) [2].

---

[1] Miro errore Carolus Halm vir doctissimus in indice editionis Vindobonensis (Corp. Script. Eccl. Lat. I 1866) hoc loco 'dispositionem' idem atque imperium vel gubernationem esse explicat quae interpretatio sententiae minime convenit.

[2] Cf. Clermont-Ganneau l. l.

Iam monachi in Aegypto, Syria, Asia, Gallia inveteraverunt. Nam ubique fere Aetheria monasteria commemorat, presbyterum ecclesiae in Sina monte exstructae iam seniorem a prima vita monachum esse dicit (c. 3, 4), episcopum mansionis Arabiae quam vocat in Aegypto sitae in monasterio nutritum esse fert, eundem hominem iam provecta aetate (c. 8, 4. 9, 1). In Gallia autem — hanc enim eius patriam esse post videbimus — iam coenobia utriusque sexus florere ipsa Aetheriae dignitas clamat.

At s. Antonius Aegyptius, eremitarum pater caelebs a. 356 obiit, Pachomius coenobiorum eiusdem terrae conditor 345 vel 346, Hilario a. 371 qui primus monachos in Palaestina constituisse dicitur. S. Martinus Turonensis qui disciplinam monasticam in Galliam transvexit, inter annos 360 et 370 primos asseclas collegisse dicitur, deïnde Turonorum episcopatum a. 371 vel 372 adeptus paulo post maius illud monasterium famosissimum condidit[1].

Sinam autem montem Aetheriae aetate iam multo magis a monachis cultum esse quam quinto saeculo ineunte paucis demonstrandum est. Nam Sulpicius Severus, s. Martini Turonensis discipulus et quasi praeco quidam, in dialogo post Martini mortem (c. 400) composito Postumianum qui orientis monasteria visitavit, de Sina monte ita referentem facit (c. 17, 1):

'Rubrum mare vidi, iugum *Sina montis* cuius cacumen caelo paene contiguum est et *nequaquam adiri potest*. Inter eius recessus anachoreta esse aliqui ferebatur quem diu multumque quaesitum videre non potui qui fere iam quinquaginta annos a conversatione humana remotus nullo vestis usu, saetis corporis sui tectus nuditatem suam divino munere vestiebat (v. l. nesciebat)'.

Sed Aetheria non solum hoc Sinae cacumen Postumiano inaccessibile ingreditur, sed etiam ecclesiam in summo vertice medii illius maximique montis esse dicit. Quae autem Sulpicius Severus de Sina significavit, aequalis nec non optimus testis confirmat completque, s. Nilum Sinaïtam dico, quippe qui ipse in Sina eremita quieti se dederit. Exstant eius narrationes quibus Saracenas in regionem illam invasisse, complures monachos necavisse, Theodulum filium ipsius rapuisse et vendidisse tradit quam incursionem si non 411, at certe priore quinti saeculi parte fuisse

[1] Zöckler, Askese und Mönchtum, Frankfurt a. M. 1897. — PRE s. v. Mönchtum, Pachomius, Hilarion, Martin von Tours.

constat[1]. Hic enim de monachis Sinae quos in narrat. III p. 30 Poss. sive in casis quas καλύβας vocat sive in speluncis habitare dixit, haec memoriae fert (l. l. p. 37): ποιοῦσι δὲ τὰς οἰκήσεις οὐ πλησίον ἀλλήλων ἀλλ' ἱκανῶς ἄποθεν διισταμένας εἴκοσί που καὶ πλείω ἄλλος ἄλλου σταδίους ἀπέχοντες . . . ταῖς δὲ Κυριακαῖς εἰς ἐκκλησίαν μίαν φοιτῶσι συναγόμενοι καὶ ἀλλήλοις δι' ἑβδομάδος συνεσόμενοι συνέρχονται, ἵνα μὴ πάλιν ὁ παντελὴς χωρισμὸς τῷ χρόνῳ διακόψῃ τῆς ὁμονοίας τὸν σύνδεσμον . . . . κοινωνοῦσί τε οὖν τῶν θείων μυστηρίων καὶ ἑστιῶσιν ἀλλήλους γυμνασίᾳ τῶν καθηκόντων λογίων[2].

Itaque Nilus ipse quoque Sinae montis incola expressis verbis affirmat singulos ibi eremitas esse qui inter se multis stadiis distent, non lauras aut coenobia. Solum dominica die eos in unam ecclesiam convenire. Sed Aetheria non solum in inferiore monte monasteria ad ecclesiam sita quam presbyter administrabat invenit (c. 3, 1), sed etiam in summitate ut ait unius ex minoribus Sinae montibus sibi presbyterum ecclesiae ibi collocatae et alios presbyteros et omnes monachos qui commorarentur iuxta montem illum qui non aetate aut imbecillitate impediti essent occurrisse narrat. Itaque huius peregrinationis aetate monachorum Sinaïtarum vita in paulo humaniorem formam redacta esse videtur. Non iam singuli monachi longo spatio inter se disiuncti ibi versantur, sed non minus duobus locis quaedam laurae sunt quae singulis ecclesiis adhaerent et quibus unus pluresve presbyteri praepositi sunt. In summo vero vertice quem

[1] Dubitatur enim an haec incursio eadem sit atque ea qua Hieronymus ep. 126, 2 a. 411 (non 410!) Aegypti limitem Palaestinam Phoeniciam Syriam vexatam esse queritur. Sed certa ratione aetas s. Nili inde fere computanda est quod Arcadium imperatorem propter exilium Ioannis Chrysostomi (ex anno 404) in ep. lib. II 265. III 279 vituperat et saepius (velut ep. II 91. 292) Nestorii doctrinam impugnat qui 428 patriarcha Constantinopolitanus factus pro duabus Christi naturis oravit, mox anno 431 concilio Ephesino damnatus est. Illas autem narrationes vix quinto saeculo antiquiores esse inde apparet quod iam filium adultum habet utpote qui mox clerici munere honoretur. Cf. Fessler-Jungmann, Institt. Patrol. II b p. 108 sqq.

[2] Huius loci in textu constituendo Leonis Allatii variis lectionibus ex quattuor codicibus promptis usus sum, cum Possino nonnisi apographa praesto fuerint tam malae notae ut novae editionis summo simus in desiderio. Apud Migne P. G. t. 79 (Par. 1865) Possini textus expressus est multis ut videtur corruptelis laborans Allatii lectionibus infra adiectis.

ne ingredi quidem Sulpicii aetate fas erat, Aetheria aedem sacram visitavit.

Hinc Aetheriam aliquanto post Sulpicii Severi Nilique aetatem i. e. non paulo post prius quintum saeculum ad Sinam montem pereginatam esse colligo [1].

Quaedam hic adiungo argumenta quibus verisimile est confirmaturque Aetheriae peregrinationem serioris quam adhuc viri docti opinati sunt, aetatis esse. Nam Abgari regis Edesseni ad Christum epistulae Christique ad Abgarum in patria iam exemplaria sibi esse dicit (c. 19, 19) quae sororibus quoque ad quas suum mittit itinerarium, nota esse ponit (c. 17, 1). Has autem epistulas Eusebius primus protulit qui ipse hist. eccl. I, 13, 5 eas ex exemplaribus bibliothecae Edessenae in Graecam linguam translatas in lucem se edidisse praedicat. Eusebii vero opus Rufinus translatione sua Latina cum hominibus occidentalibus communicavit [2]. Is autem versionem suam historiae ecclesiasticae quam usque ad 395 continuavit, confecit postquam anno fere 398 ex oriente in occidentem rediit. Itaque nisi forte illas epistulas peculiari versione cuius alioquin nec vola nec vestigium est, in Gallia propagatas esse sumes [3], Aetheriam V. saeculo non priorem esse concedes.

Accedit quod Aetheria sepulcrum sancti Hiob in oppido Carnaïm inventum magna veneratione coli narrat (c. 13. 1 sqq.) quod IV. saeculo nondum videtur exstitisse. Hieronymus enim in translatione onomastici Eusebiani s. v. *Carnaïm* domum illius commemorat, non sepulcrum, Iohannes autem Chrysostomus ad popul. Antioch. hom. XXI ed. Montf. II, p. 59 peregrinos sterquilinum illius quod illic exstaret, veneratos esse dicit.

---

[1] Cave credas ecclesiam quam Aetheria in monte illo minore describit (c. 3, 3) eam esse quam Iustinianus Procopio auctore de aedif. V 8 monachis infra Sinae summum verticem aedificavit et quae ad hunc diem exstat. Haec enim post Theodorae imperatricis mortem (548) absoluta est ita ut huius peregrinationis aetate posterior sit (v. infra). Sed nescio an eodem fere loco sit atque ea quam Aetheria vidit. — Cf. Henri Grégoire Bullet. Corresp. Hellén. XXXI (1907) p. 327 sqq. Clermont-Ganneau ibid. p. 420.

[2] Eusebii historiam ecclesiasticam cum Rufini versione ed. Ed. Schwartz et Th. Mommsen, Griech. Christl. Schriftsteller IX 1903.

[3] Ut invitus quidem v. Dobschütz, Christusbilder, Texte und Untersuchungen 18 N. F. 3 (1899) p. 104; cf. Zeitschr. f. wissensch. Theol. 1900 p. 422—486.

Deïnde Aetheria s. Euphemiae martyrium ut ait 'famosissimum' ad visendum unum diem Chalcedone se commoratam esse refert. Qua re hanc aedem famosissimam nominat? Neque enim hoc adiectivum inter ea est quae ornandi tantum gratia adduntur. — Scilicet hoc martyrium re vera famosissimum factum est synodo Chalcedonica quae anno 451 ibidem habita est cuiusque acta in loculo sanctae illius virginis deposita sunt[1]. Tum enim monophysitae huius concilii doctrinam reprobantes ab orthodoxis secesserunt, ita ut proxima aetate hoc quartum concilium acerrime impugnaretur essetque rectae fidei quasi nota quaedam. Velut s. Theodosius († 529) cum in Palaestina monophysitae cum orthodoxis vehementissime luctarentur, ex ambone pronuntiavit quattuor concilia qui non acciperet aeque ac quattuor evangelia, anathema esse[2]. Anastasius autem imperator qui extremo imperio magis magisque ab orthodoxis alienatus est, imperasse dicitur ut acta illius concilii ex arca eriperentur cremarenturque, sed ministros divinis flammis ex sarcophago coortis a nefario conatu impeditos esse. Aetheria vero cum famosissimum Euphemiae martyrium adeat, et rectae confessionis testimonium fert et aetatis suae Chalcedonico concilio posterioris argumentum.

Accedit quod loco de quo infra fusius disputabo (p. 359) quotannis legatum quendam Clysmate in Indiam mitti scripsit 'iussu imperatoris Romani'. Itaque cum ipsa quae occidentalis sit ita de orientis imperatore loquatur, unum tantum imperatorem Romanum cognitum habet, non duo. Itaque eam post 476 scripsisse apparet.

Ultimus vero annus quo haec Aetheriae epistula est posterior, annus 533 exsistit quod eum ieiuniorum paschalium morem Hierosolymis esse narrat qui post 533 illic acceptus est. Nam quadragesimae quae vocantur abbatissa auctore octo iam septimanarum sunt quae posterioris aetatis consuetudo est, anno 533 secundum antiquiorem usum sex septimanarum eas fuisse ipse Petrus qui tunc Hierosolymis episcopatum tenuit testis est.

Sed ut haec demonstrem longius mihi argumenta repetenda sunt, quia ad dissertationes doctorum quorum argumentationes falsa huius itinerarii aetate disturbatae sunt, revocare non pos-

---

[1] Mansi, Conciliorum collectio, Florentiae 1761 sq. VI p. 563. 938. 976. VII p. 1 etc. ubi sanctae Euphemiae aedes vel ἐκκλησία vel μαρτύριον nuncupatur.

[2] Usener, Der hlg. Theodosius. Leipzig 1890, p. 62, 17. 163 sq.

sum. Itaque, candide lector, aut caecus quae dixi accipe aut ieiunam mecum perlustra historiam ieiuniorum.

En Aetheriae de quadragesimis verba locupletissima (c. 27, 1): 'sicut apud nos quadragesimae ante pascha adtenduntur, ita hic octo septimanae attenduntur ante pascha. Propterea autem octo septimanae attenduntur, quia dominicis diebus et sabbato non ieiuna[n]tur excepta una die sabbati, qua vigiliae paschales sunt et necesse est ieiunari; extra ipsum ergo diem penitus nunquam hic toto anno sabbato ieiunatur. Ac sic ergo de octo septimanis deductis octo diebus dominicis et septem sabbatis, quia necesse est una sabbati ieiunari . . . remanent dies quadraginta et unus, qui ieiunantur quod hic appellant ‚eortae', id est quadragesimas'.

Ieiuniorum paschalium Hierosolymitanorum consuetudo, quam Aetheria exponit, nunc quoque in ecclesia orientali valet. In Gallia autem quadragesimam ut nunc est, a die cinerum sacrorum coepisse ex verbis eius ratiocinamur, quippe quae Hierosolymis diversum a patria septimanarum numerum, eundem fere dierum numerum ieiunio celebrandorum tunc fuisse aperte significet. Itaque qua aetate utraque utriusque ecclesiae consuetudo in usum venerit, quaerendum est.

Paulatim enim atque ex minutis initiis illud ieiunium increvit[1]. Irenaei temporibus pauci tantum ante pascham dies, id est unus vel duo vel paulo plures ieiunio celebrati sunt quasi tempus quo ablatus est sponsus (cf. ev. Matth. 9, 15), id quod ex eius epistula ad Victorem papam (189—198) scripta quam Eusebius in historia ecclesiastica V 24, 11—18 servavit, apparet. Quod Tertulliani testimonio confirmatur: Is enim in libro de ieiunio c. 2 quem iam Montanistarum assecla annis fere 212—219 composuit suae ecclesiolae morem quattuordecim dies ante pascham ieiunandi ab orthodoxis defendit, qui unum vel duo dies ante pascham ieiunare satis habeant. Sed quadragesimae dubito an inter persecutiones tertii saeculi vel ineuntis quarti institutae sint secundum Christi scilicet exemplum qui in eremo quadraginta dies ieiunavit. Sed usque ad V. saeculum diutiusque sex vel septem septimanae pro quadragesimis habitae sunt. Itaque ex Athanasii († 373)[2])

---

[1] Cf. de ieiuniis H. Funk, Kirchengeschichtl. Abhandl. I. Paderborn 1897, p. 241 sqq.; Duchesne, Origines du culte chrétien. Paris 1898[2], p. 230 sqq.

[2] Athanasii litteras paschales Syriaca versione servatas primus ed. Cureton, London 1848; Germanice vertit Larsow 1852, Latine A. Mai, Nova patrum bibliotheca Rom. 1853.

Cyrillique Alexandrini († 444)[1] homiliis paschalibus quibus secundum morem adhuc conservatum initium et ieiunationis et sanctae paschalis septimanae et ipsum paschae diem extrema oratione indixerunt, ab initio quadragesimae ad sabbatum sanctum quo ieiunia solvuntur, quadraginta dies et unum, id est sex septimanas fuisse apparet cum quadragesima a lunae die primae septimanae inciperet. Itaque quadraginta dierum spatium diversis temporibus diversa ratione computatum est, ita ut Athanasii aetate dominici dies sabbataque una comprehenderentur, posteriore aetate omitterentur. Sed vel provinciae inter se differebant. Nam Sozomenus, historiae ecclesiasticae auctor quam Theodosio II. († 451) dedicavit de ieiuniis paschalibus haec tradit (VII c. 19 p. 308): καὶ τὴν πρὸ ταύτης δὲ καλουμένην τεσσαρακοστὴν ἐν ᾗ νηστεύει τὸ πλῆθος, οἱ μὲν εἰς ἓξ ἑβδομάδας ἡμερῶν λογίζονται ὡς Ἰλλυριοὶ καὶ οἱ πρὸς δύσιν, Λιβύη τε πᾶσα καὶ Αἴγυπτος σὺν τοῖς Παλαιστινοῖς· οἱ δὲ ἑπτὰ ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ τοῖς πέριξ ἔθνεσι, μέχρι Φοινίκων, ἄλλοι δὲ τρεῖς σποράδην ἐν ταῖς ἓξ ἢ ἑπτὰ νηστεύουσιν. οἱ δὲ ἅμα τρεῖς πρὸ τῆς ἑορτῆς συνάπτουσιν. οἱ δὲ δύο ὡς οἱ τὰ Μοντανοῦ φρονοῦντες[2].

Sozomeno conveniunt — ut alia quarti quintique saeculi testimonia omittam — quae Cassianus Massiliensis in collationum libro XXI c. 27 Theonam abbatem disputantem fingit: ‘Porro quod dicitis diverso more id est sex vel septem ebdomadibus per nonnullas provincias Quadragesimam celebrari, una ratio idemque ieiuniorum modus diversa ebdomadarum observatione concluditur. hi enim sex ebdomadarum sibi observantiam praefixerunt qui putant die quoque sabbati ieiunandum. sex ergo in ebdomade ieiunia persolvunt quae eosdem sex et triginta dies sexies revoluta consummant. una ergo quemadmodum diximus ratio idemque est ieiuniorum modus, licet in ebdomadarum numero discrepare videantur.’ Deïnde in c. 29 idem Theonas exponit hac ieiuniorum lege tantummodo minus perfectos teneri homines, non vere iustos quippe quorum tota vita Deo dedicata sit et qui aliqua honesta

---

1 MPG 77 p. 402 sqq.

2 Eadem fere apud Socratem qui historiam ecclesiasticam eiusdem fere aetatis i. e. a Constantino ad annum 439 composuit, V c. 22 p. 294 leguntur nisi quod Palaestinos non nominat. Sed Sozomenus quamvis eum a Socrate pendere viri docti opinentur, tamen multa et accuratiora et meliora memoriae prodidit. Exempla congessit Jeep, Jahrb. f. Philol. Suppl. XIV 138 sqq.

sanctaque necessitate coartati, istam stationem ieiunii absque ulla disceptatione laxare debeant. Itaque Cassianus († 435) quem hanc collationum partem 427 vel 428 edidisse probabile est [1], diverso regionum more nonnisi triginta et sex dies ieiuniis observatos esse testis est quem numerum ne sancti quidem iustique homines augerent.

Numerus vero quadraginta dierum quem Aetheria et in patria et Hierosolymis ieiuniis celebrari exponit, nono demum saeculo aut octavo vergente in ritum omnis Graecae ecclesiae ascitus est. Vel c. annum 700 Anastasius Sinaita qui peculiari libro fratribus viam rationemque monstravit qua veram fidem a monophysitis defenderent, in quaestione LXIV. gravioribus verbis repugnat ne octo septimanae haereticorum secundum abusum pro septem lege praescriptis ieiunio celebrarentur [2]. Octavo autem saeculo priore Ioannes Damascenus, imaginum cultus defensor, religionis rectae doctor clarissimus, de ieiuniis ita scripsit [3] ut praeferat ipse octo septimanarum quadragesimam, septem septimanarum non condemnet. Cuius libello quidam septem septimanarum cultor vehementissimus aliorum testimonia addidit cum ab antiquiore consuetudine brevioris quadragesimae orthodoxos stare affirmet, ab recentiore longioris haereticos. Inter orthodoxos autem Petrum Hierosolymorum patriarcham (524—552 [4]) affert qui epistula paschali initium quadragesimae in diem VII. Februarii mensis, paschae festum in diem XXVII. Martii indicit, ut septimanis ex septem quadragesimam constare eluceat. Sed hi dies in nullum annum episcopatus Petri nisi in annum 533 con-

[1] Jülicher in PW.

[2] MPG 89, 662 (358). Non opus est hoc loco 'Severianorum' nomen quos auctor sentit feritque, coniectura ex 'Arianis' quorum nomen convicii causa scriptum est, efficere. Similiter imperator Iustinianus in libro contra Originem composito (Mansi, conc. coll. IX col. 489) Origenis doctrinam Hellenicam, Arianicam, Manichaeicam increpans vocat. — Aetas Anastasii exinde perspicitur quod MPG 89, 1156 sq. proximos annos viginti post concilium oeconomicum imperatore Constantino 680/1 habitum in pace fuisse dicit, quamquam numerus 'viginti' non stat, cum anni 692 usque ad 717 bellis infelicissimis, seditionibus taeterrimis repleti sint.

[3] MPG 95, 63 sqq. — Diem supremum eum ante 754 obisse exinde apparet quod in concilio huius anni contra imagines habito mortuus condemnatus est. Cf. Krumbacher, Byzant. Lit. p. 68.

[4] Cf. Diekamp, Die origenistischen Streitigkeiten im 6. Jahrhundert. Münster 1899 p. 27 sqq.

veniunt[1]. Ab anno enim 544 quo idem paschae dies celebratus est, dies ineuntis quadragesimae, quem Petrus constituit, discrepat: nam rectus 48 dierum numerus cum quadragesima a lunae die primae septimanae incipiat, sabbato sanctae paschalis septimanae vesperi solvatur[2], tantummodo a die VII. Februarii ad XXVI. Martii duodetriginta Februarii diebus efficitur qui anno 533 fuerunt, non undetriginta qui anno 544 intercalario.

Octo vero septimanarum testes ille Ioannis Damasceni libelli severissimus redactor non sine conviciis affert Severum qui Antiochiae thronum episcopalem ab anno 512 usque ad annum 518 obtinuit, monophysitarum illum ducem maximumque ieiunatorem qui Iustino regnante (518—527) fugit, anno 538 mortuus est[3], deïnde Beniamin Alexandriae patriarcham Iacobiticum (623 ad 662[4]) hunc quoque monophysitarum haeresiarcham. Sed Dorotheus Palaestinorum monachorum archimandrita (c. 600) in doctrina XV. de sacris ieiuniis data cum septem septimanarum usum solemnem commemorasset, tamen iam maiores, ut ait, octavam septimanam ad quadraginta dierum numerum implendum addidisse dicit[5]. Itaque cum octo septimanae paulatim in communem omnium orientalium consuetudinem neque multo ut diximus ante Theodori Studitae († 826) Photiique aetatem venerint, a Palaestinis iam aliquot annis ante 600, sed post 533 usurpatae sunt. Hoc autem non multo post 533 factum esse, cum monophysitarum doctrina et usus Palaestina tota pullulasset, verisimile est. Nam Sabae archimandritae rectae fidei maximi propugnatoris post mortem (die V. mensis Decembris 532[6]), monophysitarum sive

---

[1] Cf. tabulam paschalem in libro Eduardi Schwartz, Christliche und jüdische Ostertafeln, Abh. d. Gött. Ges. d. Wiss 1905.

[2] Sic enim quadragesimarum tempus computari ex Athanasii Cyrillique Alexandrini homiliis et Beniamini Alexandrini litteris paschalibus vidimus.

[3] G. Krüger PRE s. v.

[4] v. Gutschmid, Verzeichnis der Patriarchen von Alexandrien, Kleine Schriften II (ed. Rühl adiuvante Adalberto Lipsio). Leipzig 1890, p. 395 sqq. De illo Beniamin p. 499.

[5] MPG 88, 1788 BC (445). Aetas eius ex doctr. IV 9 (col. 1669 M.) fere computari potest cum Barsanuphius circa medium VI. saeculum mortuus sit. Krumbacher l. l. p. 145.

[6] Loofs, Leontius v. Byzanz (Texte und Untersuchungen III 1. 2) Leipzig 1887, p. 278 sq. Diekamp l. l. p. 11 sqq. Hi errorem Cyrilli Scythopolitani, qui in vita s. Sabae (ed. Cotelerius, Ecclesiae Graecae

Origenistarum ut tunc vocati sunt factio summis viribus invaluit: Petrum enim patriarcham coegerunt, ut Ephraemi Antiocheni episcopi nomen ex diptychis eraderet, cum is ca. 542 Origenem condemnasset[1], deïnde Petro absente monachos magnae laurae cui Sabas praefuerat et in qua recta fides ultimum fere habebat refugium, cum quis Hierosolyma intrabat, vi persequebantur[2], anno vero 547 ipsi magnae laurae abbatem Origenistam, anno 552 vel patriarcham sanctae sedi imposuerunt, Macarium dico, qui cum iussu imperatoris statim depositus esset, tamen post Eustachium (562—563/4) thronum Hierosolymitanum recuperavit. Itaque monophysitis rerum potitis monophysitarum usus quoque quadragesimae Hierosolymis receptus est. Aetheriam autem post quadragesimae consuetudinem commutatam, i. e. post 533, Hierosolymis abisse apparet.

Iam ulteriorem ad quem Aetheria respiciat annum non cognovi. Itaque terminos quaeramus ad quos fieri possit ut itinerarium composuerit.

Peregrinata est sane non solum antequam Arabes Palaestinam expugnarent, sed etiam Edessa nondum a Persis (anno 608[3]) capta. Nempe cum Aetheria illic esset, Edesseni epistula Jesu Christi ad Abgarum missa confisi suam divino promisso urbem semper ab hostibus defensam esse et inexpugnabilem (c. 19, 9) crediderunt. Plus proficiemus duobus e silentio argumentis in quibus tamen veritatem inesse credo. Primum enim episcopus Edessae, qui miracula illa urbis obsessae servataeque narrat, haec virtute epistulae Domini facta esse dicit quam Abgarus in porta perlegisset. Imago vero Christi quam Abgarus idem accepisse posteriore fabula fertur quaeque a. 944 Constantinopolim translata, hac urbe a Latinis a. 1204 occupata in occidentem invecta esse dicitur ubi nunc quoque Genuae aliisque locis sive ipsa sive exempla conservantur[4], haec ergo imago neque cum episcopus de oppido divino numine protecto exponat neque alioquin ab Aetheria commemoratur. Sed Euagrius qui historiam

---

monumenta III. Paris 1688, p. 220 sqq.) horum certaminum primarius auctor est, correxerunt.

[1] Hefele, Konziliengeschichte II 1875. Freiburg i. Br. p. 784 Cyrill. vit. Sab. p. 365.

[2] Cyrill. vit. Sab. p. 367 sqq. Diekamp l. l. p. 27 sqq. p. 55 sqq.

[3] Ed. Meyer in PW s. v. 'Edessa'.

[4] v. Dobschütz, Christusbilder; Texte und Untersuchungen 18. N. F. 3 (1889) p. 149 sqq.

ecclesiasticam a priore concilio Ephesino (431) usque ad annum 594 perduxit[1], neque multo posteriore aetate vixisse videtur, huius ipsius imaginis miris effectibus Edessam a. 544 a Chosroe Persarum rege liberatam esse multis elucubravit (IV 27). In libello autem quo de imagine Constantinopolim transportata refertur[2], hoc ipsum quoque traditum est imaginem illam inter ipsam Persarum oppugnationem cum diu abscondita fuisset, detectam esse. Huius seri testis quamvis nulla sit auctoritas, tamen in hoc verus esse videtur quod Christi imago ante Edessam a. 544 obsessam nota non fuit. Certe neque Procopius, rerum ad Edessam a. 544 gestarum auctor luculentissimus (de bellis II 26. 27), huius imaginis ullam facit mentionem neque Iosua Stylites qui chronicum rerum imprimis Edessenarum paulo post 506/7 Syriace scripsit (ed. Wright, Cambridge 1882, addita versione Anglica) quamquam persuasum habet Edessam anno 503 a Cabade Persarum rege defensam esse miraculo Dei (n. LX sqq.). Sed divini numinis auxilium is non ad imaginem Christi aeque atque Euagrius posterioresque scriptores refert, sed ad epistulam aeque atque Aetheria; tam vero similes sunt utriusque narrationes quibus Persae epistula Christi obcaecati occasionem in urbem ingrediendi praetermisisse, sed non statim repulsi aliquantum ab urbe consedisse feruntur, ut Aetheriae fabula quam episcopum Edessae narrantem facit, ex rebus his a. 503 gestis orta esse videatur[3]. Itaque mea quidem sententia Aetheriam ante Euagrium Edessae fuisse certum est, ante 544, quo prioris periculi memoria nova salute novisque miraculis obscurata est, verisimillimum[4].

Deïnde Aetheria, cum res divinas Hierosolymis celebratas perlustret multasque ecclesias nominet in quibus aliquo festo die sacra fiant, inter eas non habet Mariae Deiparae nobilissimam

---

[1] Jülicher in PW.

[2] Ed. v. Dobschütz l. l. Beilage II B.

[3] Hoc cognovit R. Duval, Histoire d'Édesse, Journal Asiatique tom. 18. VIII. série. 1891, 2, p. 244 sq.

[4] Videant viri rerum orientalium peritiores cui aetati doctrina Addai quae vocatur (ed. Philipps, London 1876), in qua imago Christi commemoratur, attribuenda sit (cf. Harnack, Chronologie II. Leipzig 1904, p. 162), si modo Aetheriae imaginis ignarae aetatem recte definio, Mosis autem Chorenii historia Armenia lingua scripta non quinti, sed octavi saeculi est (Krumbacher, Byz. Literaturgesch.² p. 406 nisus studiis viri docti Carrière).

domum Iustiniani auspiciis exstructam summis sumptibus. Quam vero inter Hierosolymorum ecclesias praeter Constantinas ipso loco sanctissimas, Martyrium scilicet et Anastasim quae vocatae sunt, principem locum tenuisse non solum ex Procopii descriptione (de aedif. V, 6) verisimile est, sed etiam exinde apparet quod Omar chaliva Hierosolymis a. 637 expugnatis statim hanc prae ceteris elegit quam suae dedicaret religioni[1]. Immo vel quadragesimae de epiphania quo nomine abbatissa festum purificationis Mariae significat, tunc non in illa Mariae ecclesia sed in Anastasi actae sunt (c. 26). Itaque hoc silentium nonnisi eo explicandum est quod tunc aetatis nondum in usu fuit[2]. Perfecta autem initiataque est Cyrillo Scythopolitano auctore quo historiae monasticae nemo testis certior est, a. 543 mense Novembri vel Decembri quibus feriis Cyrillus ipse interfuit[3]. Itaque ante a. 544 Aetheriam sacra Hierosolymitana descripsisse apparet.

Sed aliqua cum veritatis specie paulo superior annus pro inferiore huius peregrinationis termino statuendus est. Inter annos 540 et 545 Syria et Mesopotamia Romana gravissime bello Persico vexatae sunt qua aetate Aetheriam Hierapolim, Edessam, Carrhas deflexisse parum verisimile est. Accedit quod Antiochiae quam urbem Chosroes Persarum rex a. 540 funditus evertit incendioque delevit, incolas in Babyloniam abduxit novoque in oppido collocavit, Aetheria cum Carrhis redisset se septem dies commoratam esse narrat donec quae necessaria essent itineri pararentur (c. 22, 1). Itaque cum ante ver anni 540 Chosroes in Syriam Mesopotamiamque Romanam invaserit[4], abbatissa autem a. d. IX. Kal. Mai. Carrhis se fuisse narret (c. 20, 5), non post 539 hanc regionem transmeasse, Antiochiae in urbe adhuc florenti se refecisse videtur.

Iam vero cum Aetheriam neque ante 534 neque post 539 Hierosolymis Constantinopolim profectam esse demonstraverimus, ad

---

[1] Melchior de Vogüé, Les églises de la terre sainte. Paris 1860, p. 266 sqq.

[2] Stephani ecclesia a. 460 aedificata (Seeck s. v. Eudokia in PW) ne ipsa quidem commemoratur. Sed haec et ante urbem sita erat neque omnino talis amplitudinis claritatisque qualis Mariae.

[3] Cyrill. vit. Ioann. Silentiarii c. 3 (AASS Mai. III p. 20*); vit. Sabae (ed. Cotelerius eccl. gr. mon. III, Paris 1686) c. 72, p. 343. — Cf. Usener, Der hlg. Theodosius, Lpz. 1890, p. XIII. Diekamp, Die origenistischen Streitigkeiten im 6. Jahrh. Münster 1899, p. 14.

[4] Chron. Edess. no. CV [CIV]. Procop. de bell. II 5, 1.

illum locum redeamus quo ecclesia Edessae 'nova dispositione' esse dicitur (cf. p. 343) quaeramusque, illane aetate ecclesia Edessae denuo aedificata sit. Ecce haec spes non ad irritum redigitur. Anno enim 525 Edessa terribili amnis mediam urbem perfluentis inundatione devastata[1], ecclesia deleta est quam Iustinianus magnificentissime refecit. Cuius rei Procopius de aedif. II 7 auctor est his verbis: βασιλεὺς δὲ Ἰουστινιανὸς μὴ ὅτι ἀνεσώσατο τῇ πόλει τὰ καθῃρημένα ἐν οἷς ἥ τε τῶν Χριστιανῶν ἐκκλησία καὶ ὁ καλούμενος Ἀντίφορος ἦν, ἀλλὰ καὶ ὅπως μή τι αὐτῇ καὶ αὖθις τοιοῦτο ξυμβαίη διεπράξατο σπουδῇ τῇ πάσῃ etc. Tanta vero pulchritudine nova ecclesia fuit ut vel Arabum sub imperio inter mundi miracula a scriptoribus orientalibus haberetur[2]. Tum etiam Iustinianus Procopio eodem loco referente canalem huius fluminis circa murum urbis duxit ut Edessam a novis inundationibus tueretur. Itaque cum Aetheria dicat (c. 19, 7) aut episcopum sibi narrantem faciat Edessae nullam omnino aquam esse praeter fontes ex palatio divino iussu ortos, haec verba minus a veritate absunt canali exstante quam prioribus temporibus quibus totus ille fluvius intra urbis moenia fuit[3].

Restat ut alia quaedam perstringam quibus annis 534—539 reditum Aetheriae factum esse confirmatur. Aliquam persecutionem verae fidei non nimio ante fuisse iam Gamurrini inde recte effecit, quod episcopi cum Bathnarum et Carrharum, tum Edessae *confessores* nuncupantur. Confessos autem eos esse fidem suam catholicam Anastasio regnante apparet[4] qui monophysitarum fautor extremis imperii annis complures episcopos adversariae factionis expulit. Deïnde Iustini prioribusque Iustiniani annis rursus catholici sedes orientis episcopales paene omnes occupaverunt, plebem monophysitarum fide imbutam non converterunt. Immo paulo post Iacobus cognomine Baradaeus, haereticus Edessae episcopus cuius ex nomine Syriae monophysitae ad hunc diem Iacobitae vocantur, res suae fidei ita erexit ut nonnullos episcopos, permultos presbyteros institueret. Is autem, cum ex anno 526 catholici Edessae episcopi fuissent, anno 543 vel paulo ante throno

[1] Cf. praeter Procopii l. l. Chron. Edess. n. XC [XCI].

[2] R. Duval l. l. p. 102 cum adn. qui idem vocem 'nova dispositione' ad ecclesiam post a. 525 restitutam revocat.

[3] R. Duval l. l p. 94. Clermont-Ganneau l. l. Sachau, Reisen in Syrien u. Mesopotamien. Leipzig 1883, p. 195.

[4] Hoc quoque Clermont-Ganneau l. l. recte coniecit.

huius oppidi episcopali potitus est[1]. Quem haereticorum ducem quoniam ab abbatissa rectae fidei — Euphemiae martyrium adit monophysitis detestandum (p. 350) — cognomine confessoris honorari non est verisimile, hinc quoque sequitur ut Aetheria ante 543 Edessae fuerit.

Accedit aliud argumentum quo eisdem annis Aetheriam Clysmate fuisse probabile est. Nam Petrus Diaconus in eadem sui libelli parte quam ex hoc itinerario paene ad verbum descripsisse in proximo capite disputabimus (p. 367 sq.), hunc locum servavit p. 116, 6 Geyer: ʿClesma autem ipsa in ripa est, id est super mare: nam portus ibi est clausus quod (cod. qui) intro castro ingreditur mare, qui portus mittit ad Indiam vel excipit venientes naves de India; alibi enim nusquam in Romano solo accessum habent naves de India nisi ibi[2]. Naves autem ibi et multae et ingentes sunt; quare portus famosus est pro advenientibus ibi mercatoribus de India. Nam et ille agens in rebus quem logothetem appellant id est qui *singulis annis legatus ad Indiam vadit* iussu imperatoris Romani, ibi ergo sedes habet et naves ibi stant ipsius Hic est locus ubi pervenerunt filii Israel fugientes a Faraone etc.ʾ

Ne Theodorus Mommsen quidem vir doctissimus qui de hoc loco luculenter disputavit[3] ullum invenit testimonium quo quotannis legatum aut agentem in rebus in Indiam vectum esse certiores fieremus, neque umquam tale quid fuisse verisimile est Quid enim? Plinio auctore[4] qui in Indiam navigaverunt Alexandria, nonne maximam partem anni in itinere consumpserunt quippe qui media aestate fere ante Sirium orientem Alexandria profecti media hieme ex India ancoras sustulerunt ut etesiis ventis uterentur? Itane vero credendum est istum logothetam vexatum esse ut quotannis — haec enim vis vocis ʿsingulis annisʾ est[5] —

---

[1] Hallier ad Chron. Edess. l. l. p. 80. Eb. Nestle (Rödiger) s. v. ʿJakobitenʾ in PRE.

[2] Falsa hic est Aetheria quoniam Procopius l. l. c. 19, 3 Aïlam oppidum in altero maris rubri cornu situm navium Indicarum ipsum quoque portum esse tradidit. Eadem maiore fiducia quam veritate Edessae nullam aquam esse nisi ex fontibus Dei numine exortis affirmat (c. 19, 7).

[3] Sitzungsber. d. Wien. Ak. 1887, p. 357 sqq.

[4] n. h. VI c. 23, 100 sqq.

[5] Cf. c. 16, 4: ʿire coepimus iter nostrum sicut singulis diebusʾ; Itinerar. Burdigal. Corpus Script. Eccl. Lat. XXXIX p. 22, 5: ʿLapis pertusus ad quem veniunt Iudaei *singulis annis*ʾ.

tantam perpetraret navigationem? Minime, mea quidem sententia.

Sed praepropere 'India', quam scripsit Aetheria, ea terra intellecta est quae nunc Anglorum sub imperio India orientalis vocatur. Nam aetatis Byzantinae auctores plerumque latiore sensu hoc nomen usurpaverunt ita ut sive omnino regiones australes ab imperio Romano alienae sive Abyssinia appellaretur India[1]. Genuinam vero Indiam cum quis accuratius significabat, saepius interiorem nominabat. Ut in historia Socratis ecclesiastica I 19 invenitur: ἡνίκα οἱ ἀπόστολοι κλήρῳ τὴν εἰς τὰ ἔθνη πορείαν ἐποιοῦντο, Θωμᾶς μὲν τὴν Πάρθων ἀποστολὴν ὑπεδέχετο, Ματθαῖος δὲ τὴν Αἰθιοπίαν, Βαρθολομαῖος δὲ ἐκληροῦτο τὴν συνημμένην ταύτῃ Ἰνδίαν· τὴν μέντοι ἐνδοτέρω Ἰνδίαν . . . οὐδέπω πρὸ τῶν Κωνσταντίνου χρόνων ὁ τοῦ Χριστιανισμοῦ λόγος ἐφώτιζε. Malalas XVIII ed. Ox. p. 157. 194 Abyssinios appellat Indos Auxomitas a capite Axome quos eosdem Epiphanius episcopus Constantiensis, haereticorum impugnator in epistula inter Indos numerat[2]; in illa orbis terrae descriptione p. 346 laudata 8, 35: '(Alexandria) supra caput enim habens Thebaïdis Indorum genus et accipiens omnia praestat omnibus'. Homines igitur antiqui mente et cogitatione rubrum mare iam ab India prope abesse opinati sunt, cf. Orosius, hist. I 2, 15: 'In his finibus India est quae habet ab occidente flumen Indum quod Rubro mari accipitur, a septentrione montem Caucasum etc.' Itaque nihil obstat quin hoc quoque loco agentem illum in rebus quotannis in Abyssiniam proficisci putemus. Haec vero opinio eo confirmatur quod illa ipsa aetate Romanos cum Abyssiniis quandam societatem iniisse traditum est. Nam Procopius priore libro belli Persici c. 20, postquam de clade Belisarii die 18. mensis Aprilis a. 531 ad Callinicum accepta exposuit, Iustinianum per Iulianum legatum et cum Axomitis et cum Homeritis qui a contrario maris rubri litore fuerunt, pactum esse narrat, ut illi serica ab Indis emerent Romanisque venderent, hi vero in Persarum terram invaderent. Sed neutri populo contigisse ut quae imperatori promisisset, patraret. Nam quemcumque in portum naves Indicae appulissent, priusquam Abyssinii venirent, Persas mercatores omnia serica emisse, Homeritas autem hostes tanto eremo

---

[1] Gelzer, Kosmas der Indienfahrer, Jahrb. f. prot. Theol. IX (1883) p. 124. — v. Gutschmid, Kl. Schr. V 645. — E. Rohde, Der griechische Roman p. 441[1] = p. 469[2].

[2] Corpus Script. Eccl. Lat. XXXV no. 244 § 28, p. 748, 23.

seiunctos tamque fortes aggredi non ausos esse. Deïnde Procopius (c. 21, 19) exitum regis Cabadis (13. Sept. 531) narrat, cuius filius Chosroes paulo post pacem cum Romanis fecit Iustiniano sextum annum regnante (532/3). Sed illud cum Axomitis Homeritisque foedus diutius perstitisse apparet quod etiam autumno anni 539 legati Armeniorum hoc ipsum apud Chosroem regem Persarum querentes a Procopio finguntur, ut eum ad bellum suscipiendum commoveant[1]. Itaque hac via et ratione rursus Aetheriam non multo post 531 Clysmate fuisse consequimur, si modo logotheta ille idem est cui quotannis Axomitis Homeritisque Indis Byzantinorum more opes donave deferenda erant.

Quod vero Aetheria itinerario suo alterum quoddam opusculum addidit quo quae operatio divina singulis diebus Hierosolymis fieret descripsit, suorum consuluit popularium studiis quos VI. saeculo ineunte maxime res sacras ordinesque cultus curavisse ex actis conciliorum Gallicanorum apparet (Drews, PRE s. v. Messe). Atque in hac parte nonnulla sunt quae sexto potius saeculo quam quarto conveniunt. Iam disputavi de ieiuniis paschalibus. Accedunt feriae purificationis Mariae c. 26 enarratae quae V. saeculo demum cum Deiparae cultus propagaretur, in communem usum venerunt, Hierosolymis autem Marciano regnante (450—457) primo celebratae sunt[2]. Institutio vero catechumenorum Aetheria auctore (c. 45 sqq.) ab ea quam ex Cyrilli Hierosolymitani sermonibus medio IV. saeculo habitis cognovimus, aliquantum differt (Heisenberg, Grabeskirche u. Apostelkirche I, Leipzig 1908 p. 59. 82) ita ut aliquod spatium inter utrumque auctorem interesse probabile sit.

At quomodo fieri potest ut Hierosolymitanos epiphaniorum diem maiore in honore habere ex hoc itinerario appareat (c. 49, 3. c. 39, 1) quam eum quo nunc natalem Iesu Christi diem celebramus? Nonne iam quarto quintoque saeculo ab omnibus paene Christianis diem XXV. mensis Decembris in tribus summis festis

---

[1] de bell. Pers. II 3, 40 sqq. 4, 55. 5, 1.

[2] MPG 33, 1186 (ad Cyrill. Hierosol.). — Cyrill. vit. Theodosii apud Usenerum, Der hlg. Theodosius p. 106, 14: αὕτη δὲ τότε ἡ μακαρία Ἱκελία πᾶσαν εὐσεβείας ὁδὸν ἐξασκήσασα κατέδειξεν ἐν πρώτοις μετὰ κηρίων γίνεσθαι τὴν ὑπαπάντησιν ('Tempelbegegnung') τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ. Quem locum vir doctissimus cum falsa huius peregrinationis aetate ita coniunxit ut poneret ferias iam IV. saeculo fuisse, cereorum usum demum illam sanctam induxisse. — Cf. Weihnachtsfest (Bonn 1889), p. 208.

numeratum esse Usenerus noster libro docuit praeclarissimo (Weihnachtsfest p. 322 sqq.)? Non Basilium Isauricum Juvenali episcopo (425—458) pro hoc festo Hierosolymis recepto gratulantem praebet testem gravissimum[1]?

Sed Aetheria non una viri doctissimi opinioni obstat. Adest Cosmas Indicopleusta Aetheriae paene aequalis qui cum ex longis iuventutis navigationibus in monasterio Sinaïtico requiesceret, Christianicam quam vocavit topographiam composuit[2]. Is enim de eo quod Hierosolymitani seorsum a ceteris VI. Ianuario natalem Christi una cum baptismate diem celebrant, multis disputat[3]. Ac ne Usenero quidem ut hunc adversarium probabili ratione repelleret, contigit, quoniam Cosmam quae de hoc more Hierosolymitano diceret, ex antiquiore fonte hausisse mihi quidem non probavit. At cum Cosmas et Aetheria contra Basilium stare videantur, quo tandem pacto haec testium discordia dissolvenda est? Facili, opinor, coniectura. Quid enim? Juvenalis ille a Basilio laudatus nonne idem est qui Chalcedonensi in concilio a partibus Alexandrinorum ad Romanorum fidem transiit? Nonne idem quem populus Hierosolymitanus indignatus expulit, ita ut armis reduceretur? Nonne idem quem sui monachi ut alterum detestati sunt Iudam?[4]. Ab hoc igitur illam festi consuetudinem Roma exortam inductam esse ut probabile est, ita aut a populo non acceptam aut a proximis patriarchis monophysiticae fidei addictis exturbatam esse veri non dissimile.

Postremo quid de antiphonis quas s. Ambrosius anno 386 primus occidentalium in solemnia religionis recepit et quas Aetheria iam ubique notas usitatasque esse ponere videtur, verba faciam? Eam post 386 floruisse nonne vel hanc ob causam verisimile est? Unum liceat adnotare ut errorem doctorum quorundam refellam: quod abbatissa Hierosolymis psalmos antiphonas lectiones semper tam loco quam diei convenire usque praedicat (c. 29, 2. 5; 31, 1. 32, 1. 36, 1. etc.), inde minime cogendum est in monasteriis Gallicanis lectiones psalmos reliqua diei *non* apta fuisse. Immo hac re divinum Hierosolymitanorum cultum prae ceteris excellere suo iure voluit quod solemnia eisdem fiunt *locis*

---

[1] MPG 85, 469 B.

[2] Gelzer l. l., v. Gutschmid, Kl. Schr. V (1894) p. 606 sqq.

[3] MPG 88, 194 sq.

[4] Raabe, Petrus der Iberer. Leipzig 1895; p. 36 versionis Germanicae. — G. Krüger, PRE s. v. Monophysiten.

sanctissimis quibus quae quoque festo celebrantur, facta sunt. Exemplis sis utere c. 39, 5: 'legitur ille locus de evangelio ubi eadem die Dominus in eodem loco ubi ipsa ecclesia nunc in Syon est (in qua illo die res aguntur), clausis ostiis ingressus est.' c. 43, 3 'Nam presbyteri de hoc ipsud quod lectum est quia ipse est locus in Syon, alia modo ecclesia est ubi quondam post passionem Domini collecta erat multitudo cum apostolis . . . legunt ibi de actibus apostolorum'.

Itaque ut rem absolvam hoc teneamus Aetheriam post 533 sed ante 540 Hierosolymis abisse ut aliquo circuitu in Galliam reverteretur quam patriam eius esse proximis capitibus probandum est.

III.
De Aetheriae patria

Unde oriunda fuerit Aetheria, quo in monasterio sorores venerabiles vitam degerint, nullo constat certo testimonio. Quamquam sunt quidam loci quibus aliquid de patria eius significari videatur. Quippe episcopum Edessenum his verbis se alloquentem inducit (c. 19, 5): 'Quoniam video te, filia, gratia religionis tam magnum laborem tibi imposuisse, ut de extremis porro terris venires ad haec loca, itaque ergo, si libenter habes, quaecumque loca sunt hic grata ad videndum christianis, ostendemus (cd. -imus) tibi.' Deïnde cap. 18, 2: 'Perveni ad fluvium Eufraten, de quo satis bene scriptum est esse flumen magnum Eufraten et ingens, et quasi terribilis est; ita enim decurrit habens impetum, sicut habet fluvius Rodanus nisi quod adhuc maior est Eufrates'.

Rhodano comparato, non Tiberi vel Ibero nonne monasterium eius si minus Massiliae Arelate Viennaeve constitutum at certe non longe ab illo flumine afuisse verisimile est? Itaque paucos ante annos docti paene ad unum omnes huius itinerarii auctorem Gallicanam aut Aquitanicam putaverunt neque defuerunt qui inter volgaritatem orationis iam linguae Francogallicae aut Occitanae vestigia repperisse se sperarent.

Sed eheu! Quam mobilis est communis opinio! Nempe docti plerique Ferotinum, cum rectissime Valerium Gallaecanum in lucem protulisset, in eo quoque quod Aetheriam et ipsam Gallaecanam esse ex Valerii verbis falso coegit, male secuti sunt plane neglectis históricis.

Nam licet ei falsi sint qui ante posteriorem VI. saeculi

partem in Hispania coenobia fuisse negent[1], tamen in Gallaecia Aetheriae aetate iam mulierum coenobia fuisse nulla veri specie commendatur. Quid enim? Gallaeciae diu a Suebis Arianis et rusticis paganis obtentae nonne serus apostolus medio fere VI. saeculo Martinus exstitit Dumiensis? Is enim propter fidem propagatam a Venantio Fortunato summis elatus laudibus[2], ut Isidori Sevillani episcopi testimonium ad verbum afferam[3], 'ex Orientis partibus navigans in Gallaeciam venit, ibique conversis ab Ariana impietate ad fidem catholicam Suevorum populis regulam fidei et sanctae religionis constituit, ecclesias confirmavit, monasteria condidit, copiosaque praecepta piae institutionis composuit. Floruit regnante Theodemiro rege Sueborum temporibus illis, quibus Iustinianus in re publica et Athanagildus in Hispaniis imperium tenuerunt'. Atque Theodemirus cum anno 570, Athanagildus anno 568 mortuus sit[4], Martini Dumiensis aetas, cuius Isidorus testis est, a Gregorio Turonensi confirmatur, qui illum anno 580 decessisse, anno autem fere 550 episcopum factum esse — Bracarensem scilicet — paulo postquam Gallaeciam pro sua provincia vindicavisset, memoriae prodidit[5]. Itaque hac ex computatione Aetheriae peregrinationem paulo priorem esse apparet quam ea terra in qua coenobium eius fuisse docti volunt, sive ab haeresi sive ab idololatria[6] conversa est. Qua re quin

[1] Lembke, Geschichte von Spanien I (Hamburg 1831) p. 153 sqq. Diercks, Geschichte Spaniens (Berlin 1895) p. 169 alii. Opinio eorum quae non mediocri propagine pullulavit, ex falsa unius loci interpretatione succrevit, Ildefonsi sc. de viris illustribus c. 4 (ed. Dzialowski, Kirchengeschichtliche Studien von Knöpfler, Schrörs u. Szdralek 1898): 'Donatus . . . prior in Hispaniam monasticae observantiae usum et regulam dicitur adduxisse', quod eum primum monasteria condidisse male intellegunt. Immo Donatus ille, quem Iohannes Biclarensis MG AA XI p. 212 anno 571 floruisse tradit, primus institutiones monasticas dedisse dicitur eas scilicet quae Ildefonsi aetate in usu erant. Verum rectumque quod paene oblivione obrutum videtur, iam Mabillonius historiae monasticae auctor unice doctus vidit qui in Annalibus Benedictinis I 60/1 canone 1. concilii Tarraconensis (a. 516) et canone 3. concilii Ilerdensis (a. 524) iam de abbatis munere agi demonstravit (Mansi conc. coll. VIII col. 541. 612) qua ex re iam ante Donatum coenobia in Hispania floruisse luce clarius est.

[2] MG AA IV 1 p. 104 v. 17 sqq.

[3] ed. Dzialowski l. l.

[4] Auctore Iohanne Biclarensi MG AA XI p. 211 sq.

[5] Hist. Franc. V 34. 38 cf. Seeberg PRE s. v. *Martinus Dumiensis.*

[6] Paganos suae provinciae idem Martinus eo libello quem epi-

Ferotinum sequamur, tempora obstant. Sed videamus quibus ille argumentis cum Aetheriam ex Gallicana Gallaecanam fingeret, nisus sit. Duo sunt Valerianae illius epistulae loci, quorum alter haec amplectitur verba (§ 1):

'Itaque dum olim almifica fidei catholicae crepundia luciflua que sacrae religionis inmensa claritas huius occiduae plagae sera processione tandem refulsisset extremi*tas*, eadem beatissima sanctimonialis Aetheria flamma[1] desiderii gratiae divinae succensa maiestatis domini opitulante virtute[2] totis nisibus intrepido corde inmensum totius orbis arripuit iter.'

'Extremitas' quae viros doctos merito sollicitavit loco casus dativi esse ratus dubito an proclivi sive librariorum sive auctoris errore sit explicandum. Nam cum grammatici admonerent ut recta nominativi singularis tertiae declinationis terminatio adhiberetur cuius loco iam pridem casum obliquum in sermone volgari usurpatum esse ex consensu linguarum recentiorum apparet, contingebat, ut homines nimis nasuti nominativum etiam dativi accusativi ablativi vicarium facerent. Itaque aeque ac CIL III 3721. XII 5563 *potestas* pro *potestate* lapicidae doctuli insculpserunt (nisi forte ei peccaverunt qui exemplaria confecerunt) etiam in Valerii epistula *extremitas* pro *extremitati* scriptum esse opinor[3]. Sed sive mecum facis sive Ferotini difficiliorem coniecturam praefers qui '⟨in⟩ huius occiduae plagae sera processione tandem refulsisset extremi*tate*' scripsit, qua tandem interpretatione Aetheria Gallaecana efficitur?

Nam ut illam 'huius occiduae plagae extremitatem' Gallaeciam intellegendam esse et re ipsa verisimile est et loco Valerii gemello confirmatur[4], ita ibi Aetheriae monasterium fuisse nulla ratione probandum est. Equidem non possum quin 'eisdem temporibus quibus fides catholica tandem aliquando ad Gallaeciam

scopo Asturicensi 'de correctione rusticorum' scripsit (ed. Caspari, Christianiae 1883) impugnavit.

[1] *flama* cdd.

[2] *maiestatis opitulatione domini virtutis* cd. E.

[3] Cf. Schuchardt, Vokalismus des Vulgärlateins II 87 sq. Sittl, Bursians Jahresber. 68, 230. Plura de huiusmodi erroribus quos ille linguae volgaris peritissimus 'umgekehrte Schreibung' vocavit, cap. IV. disputabo.

[4] Florez, España Sagrada XVI 388: 'cum in ista *ultimae extremitatis occiduae partis* confinia rara videlicet et exigua pullularent sacrae religionis crepundia'.

propagaretur sive iam propagata esset[1], eam ingenti peregrinatione loca sancta adisse' accipiam. Quae siquidem Martinum illum Dumiensem non multo ante 550 in Gallaeciam venisse, Aetheriam paulo ante 540 Hierosolymis abisse demonstravimus, nonne cum rerum veritate tantum consonant quantum in huiusmodi declamatione par est? Immo ut Valerium ipsum respiciamus, eam ex qualibet potius natione oriundam fuisse quam ex Gallaecis suspicor. Quid enim? Si beatissima abbatissa apostoli Gallaecani beatissimi non solum aequalis, sed etiam popularis fuisset, quantis laudibus Valerius hoc extulisset ornavisset! Sed ita, unde profecta sit, silentio praetermittit ut vel Geyero ceteris rebus in Ferotini sententiam transgresso aliqua moveatur suspicio[2].

Alter Valerii locus sic se habet (§ 4): 'Que (= quae) extremo occidui maris Oceani litoris (accipe: *litore*) exorta orienti facta est cognita', ex quo eam non ex Lusitaniae Galliae Britanniae ora maritima, sed ex ipsa Gallaeciae natam esse ne is quidem recte cogere potest qui haec ad verbum interpretatur. Sed idem Geyerus — utinam suum quam alienum iudicium sequi maluisset — rectissime monuit esse cur Valerium magis sententias ornatas et contrarias curare quam nudam veritatem suspicemur. Ego vero tantum abest ut haec ad verbum accipiam ut potius Aetheriae patriam monasteriumque aliquantum a litore Oceani seiunctam fuisse censeam. Quid enim? Accessum recessumque maris se omnino nescire cum invita fateatur, num eam prope Oceanum habitasse verisimile ducis? Quae cum ad mare rubrum pervenisset, haec exponit (c. 6, 1): '(mansio quaedam) erat iam super mare, id est in eo loco, ubi iam de inter montes exitur et incipitur denuo totum iam iuxta mare ambulari, sic tamen iuxta mare, ut subito fluctus animalibus pedes caedat, subito etiam et plus quam quingentos passus de mari per heremum ambuletur: via enim illic penitus non est, sed totum heremi sunt arenosae'.

En tenes rei inauditae stuporem quo capta et delenita neque

---

[1] Utrum senserit Valerius, non diiudico. Nam ut *dum* in libris divinis interdum potestatem particulae *cum* temporalis habet (Kaulen, Handbuch z. Vulgatá p. 247), ita fieri potest ut *refulsisset* idem valeat ac *refulgeret*, siquidem coniunctivus plusquamperfecti in potestatem imperfecti coniunctivi cum in plerisque regionibus tum in Iberica paeninsula abiit.

[2] Archiv f. lat. Lex. XV p. 238 sq.

utrum homines subito ad mare deveniant an mare ad homines, satis aperit et in litore quod fluctu obruatur, nullam esse viam multis verbis exponit.

Quid ergo? Valerius quod eam 'Oceani occidui litore exortam esse' dicit num hariolatus est? Ne praepropere ea abiciamus quibus forsan veri quid contineatur. Quippe ille dummodo Aetheriae si non oppidum, at certe terra ad Oceanum pertinuerit excusandus est, quoniam rhetori orationem augenti quod veritatem traiecerit ut aliquid argutius eloqueretur, quis exprobraverit? Accedit ut voce satis trita usus sit siquidem Augustinus ep. 166, 2 Paulum Orosium ex oppido Bracarensi natum his verbis laudat: 'Qui ad nos ab ultima Hispania, id est *ab Oceani litore* . . . . advenit.' Vel Hieronymus in capite ep. 121: 'Filius meus Apodemius qui interpretationem nominis sui longa ad nos veniens navigatione signavit et *de Oceani litore* atque ultimis Galliarum finibus Roma praeterita quaesivit Bethlehem'[1].

Haec sunt quibus Ferotinus Aetheriam Gallaeciae vindicare infausto conatu studuit. Nos quidem cum contra disputaremus, eam ut non ex litore Oceani ita ex terra ad Oceanum spectanti oriundam fuisse effecimus. Quae ne ab ipso quidem itinerario aliena est sententia. Nempe patriam abbatissae in Europa fuisse necesse est, siquidem Constantinopolim cum iret ad loca sancta et cum rediret, visitavit (c. 17. 23, 8). Deinde cum de extremis terris se venisse per personam episcopi Edesseni iactet, non in Italia habitasse videtur quam vel sexto saeculo ex Romanorum aut Romanicorum sententia in medio rerum fuisse suspicor. Neque ex Alpibus nata est quod altiores montes se vidisse negat quam eos qui circa summum Sinae verticem sunt (c. 2, 6).

Iam inter Hispaniam, Galliam, Hiberniam, Britanniam ora Oceani omissa optio data est ea quidem ut non dubites quam eligas. Neque enim fugit doctos locus libelli, quem Petrus diaconus Casinensis anno 1137 confecit (in Geyeri editione p. 117, 14): 'Mare autem rubrum non ob hoc habet nomen, quia rubra est aqua aut turbulenta, sed adeo est limpidus et perlustris et frigidus ac si mare Oceanus. Ibi elecesse nimii saporis et suavitatis sunt. Omne autem genus piscium in eodem mare sunt tanti saporis ut pisces maris Italici.' Paulo infra ut supra commemoravimus mare rubrum pars Oceani esse dicitur.

Diaconum Casinensem licet aliis locis alios libros adhibu-

---

[1] Cf. P. Geyer, Archiv f. lat. Lex. IX 298.

erit utpote qui sua ex 'omnibus' ut ait libris se collegisse prae se ferat, haec quidem ex nullo alio fonte nisi ex hoc itinerario hausisse Gamurrini recte cognovit. Nam et quae proxime sequuntur cum eis quae codex huius itinerarii Arretinus integra praestat paene ad litteram conspirant nisi quod multa omisit, et verba quibus utitur cum *limpidus*, *nimius*, *sapor*, *omne genus* tum rarissimum illud *perlustris* quod vel in Du Cangii vocabulario deest, eadem in hoc itinerario leguntur. Itaque nisi forte epitomator ceteris rebus artissime suo exemplari astrictus nomen maris Italici inculcavit, hinc sequitur ut Aetheria aut ex Italia aut ex terra mari alicui propinqua quod ad Italiam pertineat, orta sit. Nam quomodo Italici maris piscium exemplo saporem illorum piscium sororibus si in Hispania Britanniave fuissent, illustrare poterat?

Itaque quae supra constituimus et locus a Petro diacono conservatus in nullam regionem conveniunt nisi in Galliam Narbonensem, neque ei erraverunt qui patriam Silviae personatae non longe a Rhodano flumine afuisse arbitrati sunt, quocum Eufraten comparare maluit quam cum ullo orbis terrarum fluvio. Mare vero Italicum quod nomen frustra a geographis petivi [1], idem esse videtur quod cum alii tum Itali Gallicum appellabant [2] et quod Gallicos ex sua parte Italicum vocavisse suspicor. Atque ut in quovis Galliae australis oppido Aetheriam deo se devovisse mente cogitari potest, ita liberum est eam suspicione coniecturaque vel Massiliensem vel Arelatensem putare cum in utroque oppido clarissimum sanctimonialium monasterium fuerit, alterum a Cassiano iam conditum alterum sexto saeculo ineunte a Caesario Arelatensi.

IV

De Aetheriae sermone

Peculiare huius libelli pretium in sermonis proprietate esse consensu virorum doctorum comprobatum est. Atque fuerunt qui Aetheriae stilum non longe a lingua sive volgari sive qua tunc homines locuti sint abesse spe existimarent praepropera [3]. Nempe

[1] Plinius n. h. III 54 ex *Italo mari* maximas naves Tiberi Romam vehi dicit.

[2] Plin. n. h. III 74. Liv. 26, 19. Strab. II 128 etc.

[3] Wölfflin, Archiv f. lat. Lex. IV 259. 260. Usener, Weihnachtsfest p. 201.

illius instar quomodo ea oratio esse potest, quae omnibus quae ad orthographiam pertinent omissis tamen multo propius abest a Plauto quam ab antiquissimis Francogallorum Occitanorumque monumentis, cum temporibus multo propius ad haec accedat quam ad illum? Nonne declinationis coniugationisque Latinae formas paene integras praestat quarum multa ut plurimorum casuum, futuri activi, generis passivi flexas terminationes sexto saeculo aut numquam aut raro usurpata esse linguis evincitur recentioribus? An linguae Latinae quasi flumen quoddam aggere saeptum prioribus saeculis paene constitisse, posterioribus subito in novas formas ruisse est quisquam qui arbitretur?

Accedit quod ipsa se non sine doctrina fuisse declarat. Saepius laudat biblia sacra, licet non semel in illis praéclare falsa sit[1], eadem Christi Abgarique epistulas iam in patria et legit et possedisse videtur (c. 19, 19), quas Eusebius in lucem protulit, Rufinus cum historiam ecclesiasticam verteret, Latinis aperuit. Deïnde Eusebii onomastico locorum Hebraïcorum ab Hieronymo translato[2] eam usam esse verisimile est, quod *Nebo* montem et *Carrhas* oppidum, quae in vulgata versione vocantur, potius *Nabau* (c. 10, 1) et *Charram* (c. 20, 1) quod in bibliis exstare affirmat, appellat; haec enim non solum septuaginta Iudaeorum sed etiam libelli illius Eusebii Hieronymique propria sunt. Ex

---

[1] *Canaan* cum *Haran* confudit (c. 20, 1: Gen. 12, 1), montem *Abarim* cum voce *Arabot* (c. 10, 8: Deut. 32, 49 34, 8). Perperam c. 5, 5 cum ad Exod. 32, 27 respiciat, filios Israel pro filiis Levi nominat, ita ut sententia funditus eversa sit. — Verba c. 5, 2 ex Exod. 3, 5 allata: 'solve *corrigiam calciamenti* tui, locus enim, in quo stas, terra sancta est' neque cum vulgata translatione neque cum Cypriano (cf. Sabatier, Bibl. sacr. Lat. versiones antiquae etc. Paris 1751) conveniunt secundum quos Mosi Deus imperat ut 'calceamentum de pedibus solvat'. Sed haec Aetheriam ex versione peculiari descripsisse ne credas quae potius ex Marc. 1, 7 vel Luc. 3, 16 sumpta non suo loco inculcavit. Itaque utrum Hieronymiana an alia usa sit, difficillimum est diiudicare. Locorum laudatorum quae et Geyerus in editione significavit et Bechtelius diss. Chicago 1902, p. 154 sqq. collegit, unus a vulgata ita discrepat ut propius ad versionem aliam accedat. Nam c. 7, 9 refert quae Gen. 47, 6 scripta sunt: 'In meliori terra Egypti colloca patrem tuum et fratres in terra Iessen'. Nunc in vulgata haec leguntur: 'In optimo loco fac eos habitare et trade eis terram Gessen', apud Augustinum vero Quaest. in heptateuch. (CSEL XXVIII) lib. I cap. 155 Aetheriae similiora: 'in terra optima colloca patrem tuum et fratres tuos'.

[2] ed. Lagarde, Onomastica sacra. Göttingen 1887².

eodem quae de Heroo oppido narrat hausisse videtur, si quidem ipsa scripsit (c. 7, 7): 'Heroum autem civitas quae fuit illo tempore id est ubi occurrit Ioseph patri suo Iacob venienti', Hieronymus simillime (s. v. Heroum): 'Heroum civitas in Aegypto ad quam Ioseph occurrit patri suo Iacob'. Restat ut itinerarium Burdigalense commemorem quod dubito an adhibuerit cum et hic (c. 23, 6) et illic (p. 579, 2 Wess.) nomen oppidi Ciliciae quod Μόψου κρῆνας Graeci vocaverunt in *Mansocrenas* commutatum sit.

Graece autem eam nescisse non inde sequitur quod c. 15, 3 presbyterum quendam sibi Graeca verba vertentem fingit, quo non suam profitetur inscitiam, sed Latinis qui lecturi sint aliquo artificio vim illorum verborum explicat. Certe cum Graeca vertit, in nullo deprehenditur errore.

Itaque ut ipsa docta est, stilum eius doctum esse exspectamus similemque litterarum sanctarum. Nec spe falsi sumus, id quod paucis exemplis confirmare propositum est: c. 4, 2 'sanctus Helias propheta qua fugit a facie Achab regis' quamquam non ad litteram cum bibliis congruit, simillimum est Ps. 3, 1 'cum fugeret a facie Absalom filii sui', 3. Reg. 12, 2; 1. Par. 11, 13 etc.

c. 10, 2 'Deus noster Iesus qui sperantes in se non deseret' cf. Iudith 13, 17: 'Laudate Dominum Deum nostrum qui non deseruit sperantes in se'.

c. 23, 9 'non cessabam Deo nostro Iesu gratias agere, qui ita super me misericordiam suam praestare dignatus fuerat' cf. Rom. 9, 15 'misericordiam praestabo cuius miserebor'; Ps. 32, 22 'fiat misericordia tua, Domine, super nos'.

Verborum autem singulorum compositionumque ea ex bibliis sacris hausta esse apparet quae neque in priore Latinitate reperiuntur neque in sermone volgari fuisse Romanicis demonstratur linguis.

Velut verba *rugitus et mugitus* quibus ter gemitus lamentationesque hominum significat (c. 24, 10. 34. 36, 3); ut *rugitus* ceteris a scriptoribus de feris usurpatur, a Francogallis autem de cervis ('*ruit rut*'), ita in vulgata non solum de leonibus, sed etiam de homine. Iob 3, 34: 'antequam comedo, suspiro: et tamquam inundantes aquae, sic rugitus meus'. *Mugitus* autem Mal. 2, 13 sic legitur: 'operiebatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu'.

Vocabulum *ingens* quod in deliciis habet, a Vergilio mutuatam eam esse putares nisi idem simili potestate in litteris divinis inveniretur. Nam ut illic Deut. 27, 2 'eriges ingentes

lapides', Ios. 10, 18. 27 'saxa ingentia', ita ipsa c. 4, 4 'petra ingens', 8, 2 'lapis ingens'; ut Deut. 9, 1 'civitates ingentes', ita c. 21, 4 'vicus ingens satis'; quo loco male eam bibliorum consuetudinem imitatam esse apparet.

Nonnumquam loco accusativi cum infinitivo non solum *quod* et *quia* quae linguae volgaris sunt, siquidem iam ab auctore belli Hispaniensis et in cena Trimalchionis leguntur[1], sed etiam *quoniam* scripsit quod non in recentiores linguas transiit, sed apud Tertullianum et in bibliis legitur. Velut c. 8, 1: 'paret sane quoniam et ingens (civitas Ramesse) fuit per girum et multas fabricas habuit'.

Quod autem in sententiis secundariis saepe non secundum grammaticos coniunctivo usa est ut c. 34 'posteaquam missa facta fuerit nocte ad Martyrium et deductus fuerit episcopus cum ymnis ad Anastase, statim intrat episcopus in spelunca' cf. 33, 1. 39, 4; c. 24, 9 'mox autem primus pullus cantaverit, statim descendet (= -it) episcopus'; c. 46, 3 'quando completae fuerint septimanae quinque, a quo docentur, tunc accipient (= accipiunt) simbolum' etc., ea quoque re cum vulgatae consuetudine convenit, in qua *postquam, mox ut*, cetera aut semper aut saepe coniunctivum recipiunt[2]. Male cum Geyerus Wölfflinum (l. l. p. 274) secutus in indice editionis has coniunctiones cum futuro exacto coniunctas esse scripserit, Angladius[3] in tantum processit errorem ut hunc usum pro Hispanicarum dialectorum proprietate haberet, in quibus futurum exactum servatum est.

Iam doctum stilum esse quippe qui litteras sacras redoleat non coniectura, sed manibus et oculis tenemus[4]. Itaque quicumque sexto saeculo casuum declinationem, comparationem flexam non multo a Cicerone abhorruisse, verba *pulcher*, *circa* usitata fuisse hoc itinerario nisus cogit[5], aut frustra est aut falsus. Ut Aetheria, cum adiectivi comparativum nusquam voculis *plus* et *magis* significet, quomodo potest quin litteras, non linguam secuta sit? Nempe Orosius et Sidonius Apollinaris uterque multo magis rhetoricus, uterque saeculo

---

[1] Segebade-Lommatzsch, Lex. Petron. Leipzig 1898. — Mayen, de partic. quod, quia, quoniam etc. Kiliae 1889.

[2] Kaulen, Handbuch p. 297 sqq.

[3] Anglade, de Latinitate libelli qui inscriptus est 'Peregrinatio ad loca sancta'. Paris. 1905, p. 95.

[4] Terentii vestigia quae dicuntur (Heraeus Archiv f. lat. Lex. XV p. 555 adn.) ut parum certa praetermitto.

[5] Wölfflin, l. l. p. 259 sqq.

aliquo prior, in usu volgari tum iam illam consuetudinem perstitisse eo testes sunt quod alter, Hispanus, saepius *magis*, alter, Gallicus, saepius *plus* positivo addit[1].

Maximo autem opere ne ea quae iam ab auctoribus bibliorum Latinorum usurpata sint, praepropere volgaria putemus, cavendum est. Nam pleraque quae cum alii tum Wölfflinus pro sermone volgari venditaverunt, potest quidem ut Aetheria illinc mutuata sit. Ut *civitas* loco *urbs oppidum*ve verborum, *petra*, *gyrus*, *in gyro*, *per gyrum*, *gyrare*, *confortare*, *mittere* pro *ponere*, *clusus* pro *clausus*, *ubi* pro *quo*, *ibi* pro *eo*, *foras* praepositionis vice usurpatum, *de* pro *ex*, *iuxta* pro *secundum*, casus quartae declinationis *passos*, *iusso* in secundam aberrantes, *habeo* cum infinitivo coniunctum ut quaedam necessitas significaretur, *de* cum substantivo verbo appositum eadem vi qua Francogalli genetivum partitivum adhibent[2], infinitivus verbis eundi adiunctus, indicativus in compositione interrogandi secundaria usurpatus etc. linguae volgari quam ex linguis Romanicis cognoscimus, cum usu litterarum divinarum communia fuerunt vel potius ab auctoribus versionum Latinarum ex fonte vivi sermonis hausta sunt. Sed quae secundo saeculo volgaria habebantur, sexto non iam erant quae quidem bibliorum consuetudine sancta essent. Itaque linguae alicuius Romanicae iam germina quaedam nonnisi in eis certa ratione cognosci possunt, quae et cum illa conveniant neque Latinitatis prioris neque bibliorum sacrorum sint. Velut *nullus* potestate substantivi adhibitum, verbum *manendi*[3] cui notio habitandi inest, *turbae* Nom. Plur. quo greges hominum significantur quamquam et ab oratione Latina genuina abhorrent et in dialectis Galliae recentioribus usu florent seorsus ab aliis regionibus, tamen ex lingua volgari emanaverint necesse non est.

---

[1] Recte hoc Wölfflinus animadvertit, Sitz. Bayr. Akad. 1880, 383.

[2] c 5, 7 'locum, ubi de spiritu Moysi acceperunt septuaginta viri'. 3, 6 'dederunt nobis presbyteri loci ipsius eulogias, id est de pomis quae in ipso monte nascuntur'. Cf. Rönsch, Itala und Vulgata, Marburg 1875[2].

[3] Bibliorum sacrorum usus vel Carolum Weyman fugisse videtur (Archiv f. lat. Lex. XV 382 cf. Rasi ibid. p. 483: *manere* = *esse*) cum illam notionem a poetis exortam esse doceret. Sed cf. Ioh. 14, 10: 'Non creditis quia ego in Patre et Pater in me *est?* Verba quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me *manens*, ipse facit opera'. Graece: ἐν ἐμοί ἐστιν . . . μένων. Hunc utriusque verbi et *manere* et μένειν sonum non raro usurpari W. Schulze, Graecolatina, Gott. 1901 p. 22 demonstravit.

Ac ne verbum *vexandi* quidem quod Aetheria sententia laboris sive suscipiendi sive inferendi usurpat (c. 8, 5. 9, 3) ex sermone usuali haustum esse Heraeo[1] cogendum erat, licet illa Hispanis Italis perstiterit. Nam cf. Luc. 7, 6: 'Domine noli vexari; non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres', Marc. 5, 35: 'quid ultra vexas magistrum?'

Quid ergo? Omnibus detractis quae ex litteris hausta aut sunt aut esse possunt, tandem restant ea quae nativi sermonis sunt? Ne tunc quidem. Nam quicumque Aetheriae more alienam affectaverunt aut affectant orationem, non solum ita falli solent ut imprudentes litterarum, verborum, compositionum quae sibi genuina sint quaedam immisceant, sed etiam ut illa vel iniusta occasione repellant.

Velut Fridericus Schiller poeta illustrissimus cum adulescens Sueborum proprietatem eam effugeret qua praepositionem '*ver-*' pro '*zer*' usurpant, ex Scylla quodammodo in Charybdin incidit ita ut '*zerschiedene Szenen, zerschiedene Eigenschaften*' diceret[2].

Eiusdem menda farinae quae Schuchardtium virum doctissimum secutus *scriptura perversa* natos esse dico, in scriptoribus barbarorum saeculorum sescenta sunt[3] neque Aetheria ab aliis alia differt ratione nisi forte quod saepius peccavit. Nam vocabulum *alius* cum aut semel aut numquam suo desit loco, saepe vel eis locis adhibuit quibus auctores vere Latini *alter* scripturi fuerint. Ut c. 12, 8 'duae civitates, id est Esebon . . . et alia Og.' c. 24, 7 '(episcopus) primum facit orationem, item benedicet cathecuminos, item fit alia oratio, item benedicit fideles'. Saepius denique voce 'alia die' proximus dies significatur (c. 4, 8. 16, 7. 44, 3 etc.)

Atque usum verbi *alius* ita Aetheriae aetate viguisse ut *alter* iam in ultimis esse videretur, paucis saeculis post hoc omnibus in linguis recentioribus revixisse, illud intermortuum esse quis est qui credat? Itaque nullam explicandi video rationem nisi eam qua abbatissam *alter* iam ubique locutam esses sed *alius* quod litteris magis convenire videretur, plerisque loci, et suis et non suis scripsisse arbitrer.

---

[1] Archiv f. lat. Lex. XV 553.

[2] cf. Behaghel, Die deutsche Sprache, Leipzig 1904[3] p. 67.

[3] Grammatici non solum vere volgaria, sed etiam perversa scriptura sive pronuntiatione nata improbant. Cf. App. Probi *occasio non occansio, miles non milex, digitus non dicitus.* Non semper talia docti recte intellexerunt.

Pronomine *idem* partim apte utitur (ut c. 6, 4), partim ita ut c. 43, 2: '(die pentecostes festa prima) offertur iuxta consuetudinem qua dominica die consuevit fieri, sed eadem adceleratur missa in Martyrium ut ante hora tertia fiat', quo loco, nisi *eadem* intellexeris *hac* (die), non stat sententia. Atque cum terram orientalem *eadem loca* appellet (c. 43, 9. 46, 3), *haec* loca sentit. Ne hoc quidem volgare est. Immo cum *idem* iam perisset aut periret, Aetheria in sermone familiari *ipse* adhibuit et pro pronomine *idem* et demonstrativa cum potestate quae utraque vis cum apud auctores posterioris Latinitatis [1] tum apud Romanicos multis exemplis constat [2]. Itaque quid miraris quod eiusdem voculae diversas notiones non semper recte distinxit?

c. 49, 2 'episcopi autem quando *parvi* fuerint, hisdem diebus Ierusolima plus quadraginta aut quinquaginta sunt'. Quamquam quis dubitaverit an eius animo obversati sint 'dies parvi' qui bis in vulgata leguntur (Gen. 47, 9. Zach. 4, 10), tamen aliud est 'parvos dies' dicere quae mensura quaedam est, aliud 'parvos episcopos' quod homines Latini non poterant quin male acciperent. Equidem sermonis natura hanc difficultatem enodare malo: Nam Occitani — uni quidem quod sciam Romanicorum — *paucos* dixerunt ut *parvos* significarent [3]. Itaque hic quoque volgaritatem ita cavit — nam verbum *pauci* nunquam legitur — ut in contrariam partem laberetur [4].

In declinationis coniugationis formis ipsis quoque quamquam non barbarae primo obtutu videntur, per affectatae quasi fucum quendam orationis linguae volgaris indoles dispicitur. Nam ut haud ita crebro praepositiones casibus flexis substituit, ita haec prava doctrina exaravit c. 39, 5: 'Dominus . . . clausis ostiis ingressus est discipulis.' Sed in vulgata sicut apud auctores optimae Latinitatis consuetudo dicendi est *ingredi ad aliquem* (2. Reg. 14, 3. 33; 4. Reg. 11, 13). Videlicet cum loquebatur, plerumque

[1] Wölfflin, Archiv f. lat. Lex. XI 392.

[2] Meyer-Lübke, Grammatik der roman. Sprachen III 83 sqq.

[3] Appel, Provenzalische Chrestomathie, Leipzig 1907. Epistola s. Stephani protomartyris v. 24: 'Los paucs e'ls graus, totz ha vencutz' (Parvos et grandes, omnes vicit).

[4] Iis locis quibus *parvus* nativae Latinitatis esset, ipsa *pisinnus* aut *modicus* scripsit. — Vegetius pro *pusillo* quod in Chironis mulomedicina scriptum est, *parvus* correxit. Cf. Lommatzsch Archiv f. lat. Lex. XII 554. — App. Probi *pusillus* non *pisinnus* (Heraeus, ibid. XI 301).

loco dativi praepositionem *ad* nomini adiunxit. Itaque dativum cum sibi remotior a lingua volgari elegantiorque esse videretur, vel non suo loco pro *ad* scripsit.

Gerundii flexi cum in linguis Romanicis nec vola sit nec vestigium, id in hoc itinerario, si nativi sermonis instar esset, paene deesse expectandum erat. Sed cum alia leguntur tum c. 23, 10 'iam propositi erat, in nomine Christi Dei nostri ad Asiam accedendi' quo gerundio omnes Cicerones Caesaresque nescio an superaverit. Itaque infinitivum quo passim in dicendo usa est, in scribendo nimis scrupulosa de potestate eius deiecit. Eodem loco genetivum 'propositi' non possum quin scriptura ex perversa natum intellegam. Nempe quoniam in sermone Galliae volgari genetivi terminatio, quantum non praepositio *de* successit, cum casu obliquo in -*o*(*m*) exeunti commutata est, Latini autem scriptores et 'consuetudo est' et 'consuetudinis est' scripserunt, quid mirum si non solum utramque vocem in suum usum convertit (c. 26; 30, 1. 3; 32, 1) sed etiam doctiorem quae sibi videretur orationem male imitata illud 'propositi erat' et 'desiderii ergo fuit ut . . . exiremus (c. 7, 1)' in textum recepit?

Sed quid plura? Aetheria qualis sit aut non sit artifex orationis, iam his exemplis satis apparet. Itaque iam in eo est ut omnibus quae fucatae Latinitatis aut sunt aut esse possunt semotis nativi sermonis propria spectemus. Quae cum in vocabulis facillime dispiciantur, ab his incipere propositum est.

Absolvere[1]: c. 27, 9 'maturius fit missa sabbati . . . ut citius absolvant hi quos dicunt hic ebdomadarios' (idem paulo post denuo). Subaudiendum est 'ieiunium' cui isti per totam septimanam astricti fuerunt. Itaque proximum abest ab Italico *asciolvere* quod vim prandendi, i. e. ieiunium solvendi habet.

ambulare — vadere — ire: In verbi eundi forma deest *it* cuius loco quater *vadet* legitur (c. 24, 7 bis; 44, 3; 46, 5), atque *eunt* pro quo 10 ies *vadent*, semel *vadunt*, bis *ambulant*. In ceteris *vadere* ex omni parte desideratur, sed *ambulare*, *ambulari*, *ambulasse*, *ambulaverunt*, *ambulaveramus*, *perambularem*, *ambulans*, *ambulantes*, *ambuletur* cum vocabulo eundi variant, ita ut *ire* multo saepius usurpetur (ca. 40 ies). Quamquam vero etiam in bibliis sacris verbum ambulandi et illa *vadit*, *vadunt*[2], *vade*

[1] Semel hic Körting, Lateinisch-Romanisches Wörterbuch, Paderborn 1907 nomino.

[2] *ambulat*, *ambulant* in bibliis translatam vim habere solent.

saepissime scripta sunt, tamen Aetheria non tam ab his quam a sermone usuali pendere videtur, quod *vadere* non usurpavit nisi ubi etiam in linguis Galliae Italiaeque huius aetatis exstat. Nam litteris eam hunc usum servare didicisse nulla est veri species. Itaque differt ab Hispanis Lusitanisque qui formas omnes utriusque verbi adhibent, differt ab usu Plautino verbi *ambulare*. Scilicet equidem cum eis facio[1] qui verba Romanica *andare*, *annar*, *aller* etc. ex verbo *ambulare* nata esse sibi persuaserunt quorum opinio eo quod seri Latini verba *ambulare* et *vadere* aeque atque Italici Occitani Francogalli alternant summopere confirmatur. Nam *ambulare* sexto saeculo in lingua volgari saepissime usurpatum id quod vel ex hoc itinerario apparet, ut removeretur, aliud vocabulum nescio quod ex tenebris exortum non solum in eandem vim succederet, sed etiam easdem vices cum verbo *vadere* alternaret, quomodo fieri poterat? Licet enim qua via illa Romanica ex origine *ambulare* commutata sint, non constet, tamen recte H. Schuchardt Zeitschr. f. roman. Phil. 23 (1899) p. 327: 'Wenn wir in einem abgeschlossenen Raum, den wir bis in alle Winkel durchleuchten können, die Anwesenheit nur einer Person feststellen, so sind wir gezwungen, sobald wir später eine Person heraustreten sehen, jene trotz aller Verkleidung und Verunstaltung in ihr wiederzuerkennen'.

camsare: c. 10, 8 'si volueritis laborem vobis imponere ut de via camsemus forsitan miliario sexto'. Vocabulum si thesaurum linguae Latinae sequeris nonnisi ab Ennio ann. 328 V. 'Leucatam campsant' et a glossographis usurpatum est qui 'deverticulum' voce 'ubi cam⟨p⟩satur' explicant (velut Corp. Gloss. Lat. IV 227, 38). Repperi etiam in regula Benedicti c. 56 'campsantes modice de via'. Eandem notionem in lingua Italica servavit, sed apud Hispanos Occitanos in novam vim fatigandi transiit.

dies dominica semper generis feminini est, cum nudum *dies* utriusque generis sit[2]. In bibliis solum Apoc. 1, 10 'in Dominica die' aliena notione legitur. Romanici ita discesserunt ut occidentales, Lusitani, Hispani, Occitani *diem dominicum* dicerent, Francogalli vacillarent, ceteri inter feminina haberent.

ebriacus etsi deest in vulgata in qua *ebriosus* eadem vi

---

[1] cf. Förster, Zeitschr. f. rom. Phil. 16 (1892) p. 251 sqq; 22 (1898) p. 515 sqq.

[2] cf. Heraeus l. l. 550.

legitur, tamen verbum vere volgare est, quia et apud Laberium legitur (CRF 52) et plerarumque linguarum Romanicarum est.

gratum, quod saepius vi solemni usurpatum est (ut c. 19, 5), semel alienam habet notionem c. 22, 2 'quoniam de Tharso tertia mansione est martyrium sanctae Teclae, gratum fuit satis ut etiam illuc accedere(m)'. Hoc loco *gratum fuit* idem ostendere ac *volui* apparet, id quod locis fere gemellis comprobatur: c. 10, 1 'fuit denuo voluntas accedendi usque ad Arabiam', c. 7, 1 'desiderii ergo fuit ut de Clesma ad terram Gesse exiremus'. Itaque Aetheria cum Romanicis convenit, velut Italicorum *grado*, Occitanorum *gratz* voluntatem significat.

habet: c. 1, 2 'habebat autem de eo loco ad montem Dei forsitan quattuor milia', c. 23, 2 'habebat de civitate forsitan mille quingentos passus'. Hunc usum Woelfflinus Francogallis, Ferotinus Hispanis aut Catalanis vindicavit, uterque merito. Sed Italici ipsi quoque eiusdem participes sunt. Ut Occitanum exemplum dem (Bartsch-Koschwitz, Prov. Chrest. p. 262): 'et avia en la soa encontrada una dompna' i. e. 'erat in terra eius nobilis femina'.

hospitium: c. 25, 7 'recipit se episcopus et vadent unusquisque ad hospitium suum ut se resumant'. Ad peregrinos, credo, Aetheria spectavit quos paene innumeros hoc epiphaniae die Hierosolymis versari ipsa testis est (c. 25, 12), praesertim cum illam sententiam his continuet: 'Monazontes autem usque ad lucem (in ecclesia) sunt et ymnos dicunt'. Itaque non habemus cur Geyerum Angladiumque secuti latiorem *domus* potestatem inesse suspicemur, quam sonet fr. *hotel* et alia Romanica eiusdem stirpis verba maiorem aedem ostendentia.

hostis: Genuina verbi notio non deest (c. 19, 13). Sed c. 19, 10 'turbati sunt Persae ut nunquam viderent postea qua parte in civitate ingrederentur, sed custodirent civitatem per giro clusam hostibus in miliario tamen tertio' *hostibus* quomodo stat quoniam nulli hostes adsunt nisi ipsi Persae? Suadeo ut ad Romanicos refugiamus, qui omnes hostes vel peregrinos cum *inimicos* vocent, *hostis* in sensum *exercitus* abduxerunt. Nam in Gallia sexto saeculo hanc novam vim usitatam esse, lege Salica comprobatur ubi c. LXIII 1: 'Si quis hominem ingenuum in oste occiserit . . . solidos DC culpabilis iudicetur' similia (cf. Geffcken, lex Sal. Lpz. 1898 p. 231).

infantes: c. 31, 3 'quotquot sunt infantes in hisdem locis usque etiam qui pedibus ambulare non possunt, quia teneri sunt,

in collo illos parentes sui tenent'; hic locus argumento est non solum verbo *infantes* recentiorum more pueros significari sed etiam Aetheriam iam originationem verbi ignorare. In bibliis ubique potestas genuina intellegi potest[1].

libero: c. 28, 4 'esca . . . eorum quadragesimarum diebus haec est ut nec panem quid liberari non potest, nec oleum gustent nec aliquid quod de arboribus est, sed tantum aqua(m) et sorbitione(m) modica(m) de farina'. Agitur de aputactitarum quos vocat virorum mulierumque castu quadragesimali. Habuerunt editores cur in *liberari* haererent quamquam quae coniecerunt *librari, deliquari, delibari* ne ipsis quidem, opinor, satis placuerunt.

At nihil mutandum, sed ad recentiores respiciendum est. In Gallia quidem ut nunc, ita iam medio aevo fr. *libérer livrer*, prov. *liurar* dandi vel committendi sensum accepit qui raro praeter Latinum in Hispania, raro aut nunquam quod videam in Italia invenitur. 'Potest' autem abundare videtur ut c. 23, 3 'quae me cum vidisset, quod gaudium illius vel meum esse *potuerit*, nunquid vel scribere possum', cf. c. 24, 10; Bonnet, Grég. p. 693. Scilicet monachis communis victus fuit non solum coenobitis et eis qui certis ecclesiis ut ait ipsa (c. 23, 4. 25, 12) deputati erant, sed etiam quodammodo solitariis quorum post Euthymium Sabamque abbates maximos quendam ordinem fuisse et disciplinam ex vitis Cyrilli Scythopolitani apparet. Mira autem quae nobis videtur panis abstinentia iam Syrorum paganorum fuit[2].

magnus: Geyerus nonnisi quinque exempla praestat adnotans: 'multo rarius quam *grandis*' (hoc 19 ies). At in concordantiis cum huius non multo plus centum exempla sint, *magnus* fere 600 ies enumeratur. Itaque Aetheriae in patria verbum *grandis* pro *magnus* usitatum esse apparet. Atque plerique populi Romanici verbo *grandis* utuntur, at Sardi *magnus* conservaverunt.

manducare: duodecim locos Geyerus collegit, *edere* et *comedere* in hoc itinerario non leguntur. Litterae sacrae verbum edendi tantummodo 39 ies, comedendi 500 ies, manducandi 150—

---

[1] 1. Ioann. 2, 14 pro νεανίσκοι in vulgata 'infantes' exstat. At Lachmanni in editione 'patres (fratres)' legitur. — Cf. Funck, Archiv f. lat. Lex. VII 97.

[2] CIL III suppl. 13 608. Cf. Bücheler, Rh. M. 1904, 39 sq.

200ies, ita tamen ut primum utriusque, alterum veteris, tertium novi sit testamenti nisi quod verbo comedendi ubique notio vorandi significatur. Quid ergo? Novum solum num secuta est? Nonne in vetere quoque versatam se esse satis prodidit? Itaque dubito an patrio ex sermone, non secundum exemplaria vocabulum *manducare* ex omni parte praetulerit. Nam in Italia et Francia australi septentrionalique *manducare* verbum recentiorum fons et origo est, in Hispania *comedere.*

martyrorum dies (c. 27, 5). At Apoc. 17, 6 *martyrum.* Comparo vocabulum Occitanorum *Martror,* cui it. *Martore,* cat. *Martror* respondent (Mistral, Lou Tresor dóu Felibrige ou Dictionnaire provençal-français s. v.).

medianus hic illic in litteris saecularibus, in divinis non legitur. Vegetius cum Chironis mulomedicinae stilum perpoliret, plerumque hoc in *medius* correxit[1]. Romanici utrumque acceperunt, vero medium rerum voce 'medio loco' significaverunt (it. *miluogo,* prov. *mieg luoc, fr. milieu,* pt. *em meogoo*). Quam iam sexto saeculo quodammodo coaluisse c. 13, 3 demonstratur: 'in eo ergo vico qui est in media planitie positus, *in medio loco* est monticulus non satis grandis'. Ubi secundum bonorum auctorum usum potius 'in medio vico' expectandum erat.

ostium decies *hostium* scriptum cum in extrema quidem parte ter recta scriptura in codice sit, Geyerus Archiv f. lat. Lex. IX 298 sq. cum *huis* (ex *hostium* = *ostium* natum) contulit quod Francogallorum est. Occitani vel *uis* vel *huis* scripserunt. Ceterarum nationum verba ex eadem radice nata *h* littera carent.

pisinnus volgaris sermonis esse appendice Probi demonstratur, in qua 'pusillus non pisinnus'[2] exstat. Quamquam in nulla recentiore lingua, quantum video, repertum est.

prehendere: c. 24, 10 'episcopus prendit evangelium'. Optimi scriptores dubito an potius 'episcopus accipit evangelium' dixerint, id quod Aetheria ipsa quoque geminis locis (c. 33, 2. 34) scripsit. Illud in plerisque linguis recentioribus sumendi postestatem complexum est.

primus: Genuina vis non deest (ut c. 14, 2), sed c. 9, 4 parum Latine scriptum est: 'inter pomaria et agros cultissimos et hortos primos iter habuimus'. Geyerus 'primos' in 'pulcherrimos' mutavit invita auctore, quae superlativum huius adiec-

---

[1] Lommatzsch, Archiv f. lat. Lex. XII 555.

[2] Heraeus, Archiv f. lat. Lex. XI, 301 sqq.

tivi voculis 'satis, valde' significare solet[1], 'plurimos' vel 'primo' quae alii temptaverunt editores, sententiam non complet. Sed quod traditum est, optime sese habet dum modo Occitane quam Latine intellegere malis. Nam in Gallia australi haec vox idem valet atque 'praeclarus, subtilis, elegans'[2].

pullus cum 15ies pro *gallus* quod omnino desideratur legamus (ut c. 24, 1 'ante pullorum cantum', 24, 9 'mox autem primus pullus cantaverit'), dialecti auctoris esse, non doctrinae probabile est, licet semel in vulgata (Tob. 8, 11), non semel in codice alterius versionis Parisino, raro apud scriptores inveniatur[3]. Hac aetate Franciae in provinciis quae Languedoc et Gascogne vocantur et in regione circa medium Rhodanum sita illo verbo gallum nominari Cornu Archiv f. lat. Lex. XII 186 testis est, sicut *pol* medii aevi in litteris Occitanis una cum *gal*, *jal* etc. ex *gallus* derivatis reperimus[4].

sera novies legitur, raro *sero*[5] quod eadem cum vi in scriptura sacra saepius exstat, nusquam *vespera* aut *vesper* quod paene centies in vulgata occurrit. Itaque *sera* quin ex sermone usuali haustum sit, non dubium est. Atque id Dacici Italici Rhaetici praestant, raro Occitanorum medii aevi litterae in quibus plerumque *ser* quod item ac fr. *soir* Latino *serum* respondet, legitur. Hac aetate in dialectis Occitanis Alpium femininum, in ceteris masculinum est (Mistral l. l. s. v. sero). Sed cum Marcellus Empiricus medicus Burdigalensis V. saeculi ipse quoque utrumque genus adhibuerit (Geyer, Archiv f. lat. Lex. VIII 479), in antiquitate *sera* vocem in maiore parte Galliae australis quam nunc usurpatam esse probabile est. — Hispani Lusitanique *tarde* in eundem sensum converterunt.

sic in hoc itinerario saepe idem atque *deïnde* valet quod apud alios serae aetatis auctores raro usu venit[6]. Haec sint

---

[1] 1, 1 'vallem ... planissimam et valde pulchram'. Cf. 13, 2. 19 3. 23, 1. 4. 25, 11. 37, 4.

[2] Appel Prov. Chrest. (Leipzig 1907) no. 4, 162: 'lo cuer ac blanc e prim e tenre' (cutem habuit albam et *primam* et teneram)

[3] Valesius ad Amm. Marc. XX 4, 17. Du Cange s. v.; Geyer, Archiv f. lat. Lex. XV 252.

[4] Raynonard Lex. Roman: '*La natura de pol es que canta lo vespre . . . e.l mati*'.

[5] c. 31, 4 'quamlibet sero sit'. c. 37, 8 'usque ad sero'.

[6] Petschenig, Wien. Stud. II 312. Landgraf, Jahrb. f. Phil. 1881, 416. Hey, Arch. f. lat. Lex. XIII 209.

exempla: c. 15, 5 'omnes in ipso fonte baptizarentur, sic redirent . . . et sic a fonte usque ad ecclesiam deducerentur'; c. 37, 8 'fit oratio, benedicuntur cathecumini, sic fideles' (= c. 43, 8); idem c. 43, 7. 9 nisi quod *et sic* pro *sic* scriptum est. Hic particulae sonus gentium Galliae praeter ceteras videtur esse proprius (Meyer-Lübke l. l. III 589). Semel post compositionem secundariam primariae in capite est: c. 37, 4 'At ubi autem sexta hora se fecerit, sic itur ante Crucem'. Hoc ut a Latinitate alienum, ita in utraque Franciae parte Dacia Rhaetiaque — minus frequens in Italia esse Meyer-Lübke Gramm. III 698 quem hic auctorem sequor, docet — multo usu adhibetur.

soror et *frater* verbis Aetheria iam plane monasteriorum incolas significat. Nam cum ceteris locis accuratius 'fratres id est monachi' scripserit (c. 10, 3. 15, 3. 16, 2), semel nude c. 47, 4 'quia sunt alii fratres et sorores graecolatini, qui (in ecclesia) latine exponunt' posuit. Eadem notio in linguis Italica et utraque Hispanica invenitur.

testimonium: c. 45, 4 'Si quis autem peregrinus est, nisi testimonia habuerit qui eum noverint, non tam facile accedet ad baptismum'. Testes hoc loco sentiri quia 'hominum' vel simile quid omittere Aetheriae non est, Geyerum non fugit. Haec vero notio cum in omni fere Romanica regione exstet ita ut in Hispania *testimonia,* in Gallia *testimonium* (fr. *témoin*), in Italia uterque numerus verborum recentiorum origo sit, sine ulla iusta causa Angladius hoc loco de Hispaniae proprietate cogitat.

toti: c. 2, 6 'toti illi montes . . . ita infra nos essent ac si collicoli permodici essent' cf. 2, 5 'in medio illorum omnium est'. c. 43, 6 'omnis populus usque ad unum toti' aliisque locis *toti* idem atque *omnes* valet, qui sensus vulgatae paene deest, sed hic illic apud scriptores prioris aetatis invenitur et unus omnium Romanicorum est.

transversare: c. 2, 1 'Ipsam ergo vallem nos traversare habebamus, ut possimus montem ingredi'. c. 2, 4 'iter sic fuit ut per medium transversaremus caput ipsius vallis et sic plecaremus nos ad montem Dei'. Quasi atavum quendam Francogallici *traverser,* Italici *traversare* his locis praeberi iam Wölfflinus vidit. Ne Occitanis quidem idem verbum eiusdem notionis deest (Mistral s. v. traversa); deest, quod videam, Hispanis. Litterarum profanarum sacrarumque tantum Verg. Moretum 46 'farinas transversat' comparari potest cuius vis tamen aliena est.

vicus: c. 7, 7 'Heroum civitas . . . nunc est come, sed gran-

dis quod nos dicimus vicus'. Quamquam hoc frustra apud recentiores quaesivi, tamen ut alibi, ita in Gallia Narbonensi vici appellati sunt qui in pertica alicuius maioris oppidi essent velut Nemausi Viennaeve[1].

Quae ad *singulas litteras* pertinent ut *-m* vel omissum vel falso adiectum, *e* et *i*, *o* et *u*, *e* et *ae* commutata, alia omitto quippe quae omnium provinciarum iam olim communia sint et forsan librariis, non auctori tribuenda[2]. Unum scripturae iam commemoratae *hostium* (cf. p. 379) addo: Bis (c. 19, 16. 20, 4) *bendicens* codex praestat, sexies *benedicens*. Illud enim librarii Casinensis cuius operae hoc itinerarium deberi iam Gamurrini cognovit[3], mendum non esse inde probabile est quod Italici hoc verbum integrum servaverunt. At in Gallia saepe correptum legitur: prov. *benezir* et *bendir*. Conferendum est c. 24, 7 'finiuntur ergo haec omnia eum crebris' ubi 'tenebris' quod Gamurrini temptavit sententiae sufficit, a litteris codicis nimis differt. Ad verum Heraeus proxime accessit qui an 'creperis' scribendum esset dubitavit. Sed lege quadam hinc in lingua Occitana istam itinerarii verbi formam natam esse ponendum est[4]. Quare et 'bendicens' et 'crebris' me auctore obtinebis.

*Declinationem coniugationem*que Latina consuetudine flexam in hoc itinerario iam ex maiore parte labi qui ostentant, rem improbe augent cumulantque. Illius enim dummodo ut par est nomina propria, Graeca[5], aliena exceperis neque ea in culpam auctoris verteris quae *-m* apposito deletove aut *-um* et *-o* commutatis facile sanentur, perpauca restant[6]. Sed. c. 3, 1 'non (montes) subis lente et lente per girum, ut dicimus in cocleas, sed totum

---

[1] Hirschfeld CIL XII p. 219. 936.

[2] cf. etiam Wilmart l. l.

[3] Geyerus sibi non constat, cum huius modi menda modo integra receperit modo correxerit, velut c. 7, 1 Acc. 'terra(m)', c. 22, 1 Acc. 'septimana', alia. Quamquam vix improbandus est quoniam ratio qua talis auctores Latinitatis edendi sint, inter viros doctos non certa est. Ne Heraeo quidem magis codicem sequenti, ut aequam rationem servaret, contigit.

[4] lat. *opera* = prov. *obra*, lat. collocat = prov. *colga* cf. Schultz-Gora, Altprov. Elementarb. Heidelb. 1906 p. 34. Meyer-Lübke II 11. Schuchardt, Vokalismus d. Vulglat. I 125 sqq. II 394 sqq.

[5] c. 25, 12 'laetitia celebratur a presbyt*eris* et ab om*ni* cler*o* ipsius loci et a monazon*tes*'; cf. 24, 1.

[6] c. 17, 1 'in caelis ascendisset', c. 24, 10 'moveri in lacrimis'. cf. Bechtel l. l.

ad directum subis ac si per parietem', ipsa ut adagium quoddam excusat[1].

c. 28, 4 sq. 'quadragesimarum sic fit ut diximus. Et completo earum septimanarum vigiliae in Anastase sunt de hora lucernarii sexta feria'. Neque de casibus prave permutatis cogitandum neque lacuna, sicut editores fecerunt statuenda est. Immo et *quadragesimarum* et *septimanarum* sana esse censeo et inde nata quod olim *tempore* subauditum est. „At non Latinum est." Minime, sed Occitanum; nam cum priore quidem aetate post **paschorum*, **calendorum*, **martrorum* omitti soleret *tempore* vel *die*, nova substantiva *pascor*, *calendor*, *martror*[2] in usum venerunt. Aliter res se habet c. 46, 3: 'Et iam quando completae fuerint septimanae quinque a quo docentur, tunc accipient simbolum; cuius simboli rationem similiter sicut omnium scripturarum ratione(m) exponet (episcopus) eis *singulorum sermonum* primum carnaliter et sic spiritualiter'; quem genetivum *singulorum sermonum* cuius loco ablativum exspectamus, scriptura perversa explicandum esse arbitror. Nam cum in sermone cotidiano praepositio *de* et genetivo et ablativo instrumenti successisset, factum est ut scribens auctor utrumque casum confunderet.

Nominativus et accusativus pluralis nominum primae declinationis a Romanicis non distincti in hoc itinerario semper suis leguntur locis praeter c. 27, 1 'sicut apud nos quadragesimae ante pascha adtenduntur, ita hic octo septiman*as* attenduntur ante pascha. Propterea autem octo septimane attenduntur quia etc.'

Pronominum ipsorum quoque casus flexi omnino recte se habent. Unum tantum inveni quod vivum sermonem a Latinis seiunctum sapiat. Nam c. 18, 1 'necesse me fuit ibi facere stativam' cf. 19, 3; c. 20, 1 'necesse me fuit adhuc in ante accedere usque ad Charris'; c. 7, 7 'necesse nos fuit ibi descendere' cf. 4, 6 accusativi speciem praebent cum hoc quidem verborum ordine dativus requiratur, ut 1. Thess. 1, 8 'ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui'. Nam horum pronominum accusativum dativumque Romanici Dacicis Rhaeticisque exceptis non discernunt

---

[1] Videlicet non Woelfflini errore 'langsam wie Schnecken' (Archiv f. lat. Lex. IV 272) interpretandum, sed secundum 3 Reg. 6, 8: 'per cochleam ascendebant in medium coenaculum et a medio in tertium'. Recte Bernard in versione Anglica 'gradually by a spiral path (as we say ‚like a snail shell')'.

[2] Schultz-Gora l. l. p. 63.

nisi cum maiore enuntiantur tenore[1]. *Nobis* autem et *vobis* tunc iam in vivo sermone Galliae intermortua esse vel id argumento est quod pro *nos* et *vos* bis perversa scriptura exarata sunt. c. 36, 5 episcopus gregem suum adloquens fingitur: 'Ite interim nunc unusquisque ad domuncellas vestras, *sedete vobis* et[2] modico, et ad horam prope secundam . . . parati estote'. Nam *sedete vobis* loco vocis *sedete vos* est, cum hoc verbum in lingua volgari multarum regionum reflexivum fuerit (Meyer-Lübke III 407 sqq.). c. 4, 8 '*gustavimus nobis* loco in horto ante rubum cum sanctis ipsis'. Cum ad verba edendi ne in Romanicis quidem linguis accusativus dativusve pronominis reflexivi aptus sit, *nobis* loco nominativi *nos* male usurpatum esse necesse est.

Comparativum adiectivi nunquam voculis *plus* vel *magis* significari in quo Angladius offendit iam doctrina auctoris explicavi (p. 371). *Maior* haud raro Romanicorum secundum consuetudinem pro elativo est. Aedes Hierosolymorum maxima 'ecclesia maior' appellatur (ut c. 27, 3), septimana paschalis, qui quadragesimarum quasi cumulus quidam est, 'septimana maior' (c. 46, 5). Monachos de nulla re fabulari narrat nisi de scripturis Dei aut facinoribus 'monachorum maiorum' qui 'maximi', non 'priores' intellegendi sunt quia ex parte de vivis dicit. Atque hoc confirmatur loco gemello c. 20, 5 'necesse fuit . . . omnes monachos in Charra descendere etiam et illos maiores qui in solitudine sedebant'.

De *generis activi* forma pauca monenda sunt, raro enim a legibus castae orationis secessit. c. 17, 1 'tenderam' Woelfflino l. l. 282 non corrigendum erat, quamquam in vulgata semper 'tetendi' scriptum est. Sed nulla gens recentiorum in perfecto primam syllabam duplicat[3]. c. 27, 9 'prandiderint' ipsum quoque a parte Romanicorum stat, etiamsi iam Valerium Antiatem 'descendidit' scripsisse (Gell. VI 9, 17) notum est[4].

Nonnulla 3. Plur. Ind. Act. tertiae coniugationis Geyerus in indice collegit quae in *-ent*, non in *-unt* exeunt: 'accedent, accipient, colligent (ter), descendent (bis), ducent, incipient, legent, occurrent, ponent, tendent, tollent, vadent (decies)'; addidit 'custodent'. Cum Roenschius ex bibliis nihil huiusmodi attulerit nisi

---

[1] Meyer-Lübke, Gramm. II 90 sqq. — Scilicet non casu factum est, ut post vocem *necesse est* a qua accusativus cum infinitivo pendere potest, pronominum accusativus more volgari exstet.

[2] ='etiam', ut saepe.

[3] Meyer-Lübke II 298. — Singula Latina ap. Rönsch l. l. 288.

[4] Schuchardt Vok. I 35. III 10. — Bücheler, Rh. M. 1904, 34

quaedam secundae coniugationis vice versa in *-unt* exeuntia (exercunt, extergunt, lugunt), Angladius aliquid dialecti verae subesse recte ratus est sed in eo falsus fuit quod ad Hispanicas linguas rettulit. Nam ita usus Romanicarum nationum discessit, ut *-ent* in Hispania Sardinia Gallia (exceptis Lugdunensibus et ex parte quidem Occitanis) Italia superiore adhiberetur, *-unt* in illis Galliae regionibus et in reliqua paucis omissis Italia[1]. Itaque quod in hoc itinerario tot verba ab usu scholarum dissonant, Casinensis librarii incuria peccatum esse non verisimile est. Recte Geyerus Archiv f. lat. Lex. XV 247 cum Antonini Placentini similia attulit tum Vergilium illum grammaticum monentem (p. 167, 8 ed. Huemer) ne quis 'audient, legent, metientur' praesentis loco scribat.

c. 24, 1 '*responduntur*' non perversae scripturae est, sed eo explicatur quod hoc verbum pridem in tertiam coniugationem abiit.

habere c. inf. coniunctum ita ut prope a futuro conditionalique quod vocant Romanicorum absit, in vulgata frequenti in usu est. Apud Aetheriam vero haec leguntur: c. 24, 6 'ubi diaconus perdixerit omnia quae *dicere habet*, dicet orationem primum episcopus', c. 2, 1 'vallem nos traversare habebamus'. c. 4, 5 'ipsa parte exire habebamus'. Atque infinitivum *ante* verbum habendi positum et imperfectum, non perfectum usurpatum esse notandum est quia utrumque Gallicanis convenit dialectis; in Hispanicis autem saepe infinitivus *post* verbum habendi collocatur, in sermonibus Italiae perfectum verbi habendi aut solum aut cum imperfecto alternans adhibetur[2].

Terminationes generis passivi quas tunc iam consenuisse ponendum est siquidem neque in litteras neque in linguam ullam Romanicorum pervenerunt, raro cum volgaribus commutavit. Recte, si ad Latinos praeceptores spectas c. 47, 2 'tantae voces sunt collaudantium ut porro foras ecclesiae *audiantur*'. At c. 36, 3 eandem sententiam volgari forma significavit: 'tantus rugitus et mugitus totius populi est cum fletu ut forsitan porro ad civitatem gemitus populi omnis *auditus sit*'. „At cave talibus locis gemellis eundem semper sensum esse efficias quos potest ut auctor consulto variaverit.“ Ergo tute quomodo hoc 'auditus sit' interpretaris? In quo praesens vis, ut stet sententia, tibi intellegenda est. Accedit ut alia ipsa quoque magis Romanice sonent quam-

---

[1] Meyer-Lübke II 161.
[2] Meyer-Lübke II 138. 364.

Latine. c. 43, 5 'legitur etiam et ille locus de evangelio ubi *dicit* de ascensu Domini, legitur et denuo de actus apostolorum, ubi *dicit* de ascensu Domini in caelis post resurrectionem' (cf. 37, 5). Viri docti qui de oratione huius itinerarii egerunt cum taceant, num hanc vocis notionem solemnem esse arbitrantur? At grammatici ipsi quoque tacent. In vulgata cum saepe legatur: 'scriptura dicit' (ut Rom. 4, 3; Galat. 4, 30) eiusmodi locis primo 'scripturam' subauditum esse mihi persuasi. Sed Romanici subiecti omissi obliti sunt cf. prov. 'Aizy dis, con Sant-Honoratz fon portatz a l'isla de Lerins a las serpentz'[1] (carminis S. Honorati inscriptio est) Appel Prov. Chrest. no. 8 initio, cf. ante v. 161); span. 'lo que en esta ley dize'[2]. c. 37, 9 'Ipsa autem die non mittitur vox ut pervigiletur ad Anastase quoniam *scit* populum fatigatum esse', Aetheria *scit* aeque atque hoc *dicit* et illud *habet* (cf. p. 377) pro impersonali quod vocatur usurpavisse, non activum pro passivo videtur posuisse.

Deponentia recte flexit exceptis infinitivis 'egredere' (c. 12, 3) et 'furasse' (c. 37, 2) quod utrumque verbum saepe in vulgata passiva forma legitur.

Ne hac quidem in parte perversae desiderantur exempla scripturae. Nam c. 3, 4 'occurrit presbyter veniens de monasterio suo qui ipsi ecclesiae deputabatur' scriptores vere Latini dubito an 'deputatus erat' scripturi fuerint. Sed cum *amatus eram* in usu sermonis cotidiani idem valeret atque *amabar*, 'deputabatur' illud non suo loco pro 'deputatus erat' scripsit. Denique utrum c. 10, 3 'optati sumus' verbum optandi male deponentis numero habuerit an mendum scribae nescio quod subsit, in medio relinquo.

Quaedam verba eundi modo nuda leguntur modo parum Latine cum *reflexivo pronomine* coniuncta. Saepe 'vadent', sed c. 25, 7 'vadent se unusquisque ad hospitium suum', nonnumquam 'sedere' et genuina vi et posteriore considendi, sed c. 36, 5 'sedete vobis' (cf. p. 384), crebro 'se tendere' cui sensus petendi inest, semper cum reflexivo. Romanica similia Meyer-Lübke III 407 collegit. Verbo 'movere, se movere' notio proficiscendi significatur ut apud Romanicos: c. 10, 8 'gratias Deo agentes movimus inde'; c. 16, 5 'necesse habuit . . . movere se et descendere'.

---

[1] 'Sic *dicitur* quomodo S. Honoratus ad insulam Lerinensem ad serpentes portatus sit.'

[2] 'illud quod in ista lege *dicitur*' cf. Zauner Altspan. Elementarb. Heidelb. 1908, p. 118.

plicare quod in novam sententiam appropinquandi abiit, ipsum quoque et hoc et illo modo adhibetur. c. 6, 3 'plicavimus nos ad mare' cf. c. 2, 4. Sed c. 19, 9 'cum iam prope plicarent (Persae) civitati.' Sententia vero illa in glossariis linguae Occitanae frustra quaeritur, reperitur in Hispanicis. Sed etiam Vasconicae[1] dialecti, Dacicae[2] linguae cum propria sit et in antiquioribus litteris Italianis exstet, quin olim omnino linguae volgaris fuerit, non dubito. An tu diversis regionibus idem verbum in eandem postestatem novam et multo distantem abisse opinaris?

se facere saepe (ut tota stirpe Romanica) pro 'fieri' esse Woelfflinus primus cognovit; c. 27, 3 'facit se hora quinta' cf. 29, 3. 31, 1. 37, 4. 7; c. 29, 3 'ubi autem coeperit se mane facere'.

Praepositionibus in vulgata sive ab optimis auctoribus usitatis abbatissa addit *cata* et *intro*. *cata* antea rarissimum fuit, sed apud Aetheriam haud raro exstat, *intro* ex adverbio praepositio facta est: c. 38, 2 'intrat episcopus intro cancellos' cf. c. 24, 2. Ibidem (c. 24, 2) 'de intro cancellos primum dicet orationem' cf. c. 24, 4. Sed *cata* omnis Hispaniae, Galliae, Italiae est, ex *intro* praepositione nonnisi Hispanica Italaque derivata sunt[3].

ad praepositionis usus compluribus numeris notabilis est. Mitto ex eo aliquid efficere, quod 'ad ecclesiam, ad Anastasim', non 'in ecclesia' scripsit, quia antiquitus Romani 'ad templum, aedem' simili potestate dixerunt, etiamsi an non eadem sint, dubito. Sed quod *ad* vel cum nominibus terrarum pro *in* c. Abl. — nam pro *in* c. Acc. iam pridem usitatum est (ut Script. hist. Aug. MA 27, 2) — coniungit, frustra in Thesauro[4] et in dissertatione viri docti Funaioli (Archiv f. lat. Lex. XIII

---

[1] Anglade l. l. p. 118 revocans ad Bourciez, Bullet. hispan. 1901 qui liber mihi non praesto fuit.

[2] Antonescu, Dictionariu. — Meyer-Lübke III 408.

[3] Meyer-Lübke III 512.

[4] Quod hi Aetheriae loci singularis sententiae cum eis confusi sunt, ubi *ad* cum terrarum nominibus coniunctum idem atque *usque ad* vel *iuxta* valet, non laudandum. Magis vero quod Liv. 34, 42, 1 'de rebus ad Lacedaemonem gestis' ibidem enumeratur, cum Livius oppidum Lacedaemonem, non terram sentiat (cf. 34, 33, 1) et quod CIL II 62 78 v. 56 de quo editores desperant quasi iustum exemplum datur, improbandum.

p. 362) apta quaesivi exempla. c. 7, 1 'Sane licet terram Gesse iam nossem, id est qua primitus ad Egyptum fueram, tamen ... desiderii .. fuit ut ... ad terram Gesse exiremus'. c. 9, 1 'biduo ibi (in mansione Arabia Egypti) tenuit nos sanctus episcopus, sanctus et vere homo Dei, notus mihi iam satis de eo tempore a quo ad Thebaïdam fueram'. Nam quominus intellegamus '*ieram* ad Egyptum vel ad Thebaïdam' (id quod iam ex hac verbi interpretatione laborat), universa obstat locorum sententia. Itaque in eo volgaris est et Romanicum olet sermonem quod *ubi* quid sit non distinguit ab eo *quo* quid moveatur[1]. Atque vero dubito an Gallicum quid subsit, siquidem apud ceteros *in* saepius cum terrarum nominibus componitur, apud Francogallos et *ad* et *in* in frequenti usu est.

Deïnde quae c. 15, 5 exstant: 'ut ... redirent mature *ad* candelas cum clericis et monachis dicendo psalmos et antiphonas' num potest ut vere Latini scripserint? Sed *ad* pro *cum* est, cf. Cic. Tusc. V 23, 65 'famuli ... immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum'. Qui usus nulli regioni tam convenit quam Galliae cum Itali Hispanique *cum* conservaverint[2].

post loco *coniunctionis* adhibetur c. 47, 1 '*post* autem venerint dies paschae, per illos octo dies ... itur cum ymnis ad Anastase', quod eodem cum munere in verbis Italico (*poi*) Dacico Rhaeticis exstare Meyer-Lübke III 600 sibi persuasit.

quod saepe in capite sententiae secundariae temporalis legitur: c. 2, 5 'intus autem quod ingrederis, plures sunt'; c. 28, 2 'sabbato autem quod manducaverint mane, iam nec sera manducant' (male a Woelfflino mutatum). Similiter c. 2, 2 'his diebus quod s. Moyses ascendidit in montem Domini'; c. 36, 3 'qui locus ad quod lectus fuerit, tantus rugitus et mugitus totius populi est ut etc.' Romanicarum linguarum studiosis committo, utrum ex hoc *quod* illarum *que, che* temporale ortum sit necne, diiudicare[3]. Sub eisdem iudicibus num *qua* ipsum quoque origo et fons illarum esse possit, litem relinquo[4]. Certe a Latinis valde

---

[1] Meyer-Lübke III 468. 477 illud *ad* iam noni saeculi exemplo confirmatum non suo iure secundariae esse originis putat.

[2] Meyer-Lübke III 500 sqq.

[3] Meyer-Lübke III 646 aliam ingreditur viam explicandi.

[4] Angladius p. 98 virum doctissimum Meyer-Lübke secutus cum hoc verbo *ca* quod in antiquissimis Hispanicorum litteris 'nam' significat coniungit. Sed haec originatio valde iam ob id suspecta est quod notiones particularum dissonant.

Aetheria abhorret cum etiam hoc pro coniunctione habeat temporali c. 39, 5 'qua reversus est (Thomas) et dicentibus ei aliis apostolis quia Dominum vidissent, ille dixit: non credo, nisi videro'. Atque sicut *que*, *che* omnes relativi pronominis casus absorbuerunt, ita sitne hoc *qua* et *quod* cum illis conferendum, equidem dubito.

homo iam proxime ad Francogallicum *on* accedere c. 13, 1 'desiderium imponendi michi laboris ut etiam usque ad illa loca accederem, si tamen labor dici potest ubi *homo* desiderium suum compleri videt' recte Geyerus animadvertit. Hic autem usus vocis *homo* non unius Galliae proprius est, sed etiam Hispaniae et dialectorum Italicarum[1].

Attractio substantivi ad relativum *inversa* quae vocatur a Plauto multifariam, raro ab optimis auctoribus adhibita volgaris sermonis omnium credo temporum propria fuit. Itaque c. 19, 11 'monticulum istum quem vides, filia, super civitate hac, in illo tempore ipse huic civitati aquam ministrabat' et c. 13, 4 'fabricam quam vides, ecclesia est' non librariis, sed volgaritati auctoris addices, praesertim cum in litteris Franciae donec duobus casibus exstantibus cognosci possint, non desint huius usus exempla[2].

Extremum est ut quae *certi cuiusdam verborum ordinis* esse arbitrer, exponam. Incipio ab eis pronominibus demonstrativis quae ita frequentata sunt, ut in partes articuli abirent. Angladius enim l. l. p. 80 *ipse* substantivo praeponi 139 ies, postponi 47 ies, *ille* praeponi 65 ies, postponi 37 ies ostendit. Illud mirum si Aetheria *ipse* saepius quam *ille* usurpavit quanquam illud tantummodo apud Sardos Catalanos partemque occidentalem Occitanorum articulus factus est. *Ille* autem saepissime tum adhibuit cum ad proximam sententiam secundariam spectaret, ut c. 8, 5 'retulit de illas statuas quas dixi'; c. 1, 1 'montes illos inter quos ibamus'. His omissis locis, neglectis quoque adiectivis (ut 'sancti illi') numerus exemplorum alius efficitur: nam *ille* substantivo 28 ies praeponitur, postponitur tantummodo ter[3]. Apud omnes Dacicis exceptis Romanicos articulum substantivo antecedere vix est quod moneam.

sanctus tum cum sensus eius iam nomine cui additur, contineri videtur, semper illi ut apud Romanicos praecedit. Ita-

---

[1] Meyer-Lübke III 103 sqq.
[2] ibid. III 671.
[3] c. 5, 3 'vitulus ille' et c. 12, 7 'columna illa' (bis).

que semper 'sanctus Moyses, sanctus Helias, sanctus Abraam, sancti Thomae, sancta Tecla' cuius ordinis verborum 60 exempla sunt. Deïnde 'sanctus episcopus' 20 ies, 'sanctus monachus' 17 ies duobus obstantibus (c. 1, 3. 12, 3), 'sanctus presbyter' 5 ies uno obstante (c. 15, 5), 'sancta diaconissa', 'sancti martyris', 'sanctis clericis et monachis' singulis locis adhibentur. 6 ies 'sancta ecclesia', sed c. 48, 1 'harum ergo ecclesiarum sanctarum'.

At semper (id est 14 ies) 'loca sancta' (c. 5, 11. 12, 3 etc.), bis 'scripturas sanctas' alia. Itaque *sanctus* in hoc itinerario eadem ratione substantivo sive praepositum sive postpositum est atque in linguis Romanicis cf. it. *S. Giovanni*, *Sa. Maria*, fr. *Saint Jean*, *Sainte Marie*, sp. *San Juan*, *Santa Maria*; it. *la santa Vergine*, fr. *la sainte Vierge*, sp. *la santa Virgen*; it. *santa Chiesa*, prov. *santa Gleya*, afr. *sainte Eglise*; sed it. *la terra santa*, fr. *la terre sainte*, *l'écriture sainte*, *le lieu saint*[1].

Appositionem cum Latini postponere, Romanici praeponere soleant, Aetheria plerumque ab horum parte stat. Velut c. 12, 1 'montis Nabau' cf. 11, 4. 10, 8; c. 9, 5 'civitas Tathnis'; c. 9, 4 'terra Jessen'; c. 18, 2 'fluvius Rodanus' etc., quamquam alicuius momenti est quod haec nomina ex maxima parte non Latina sunt.

Haec habui quae linguae volgaris esse exponerem. Neque enim ut omnia disceptarem propositum erat neque si mihi proposuissem praestare potui. Atque Aetheriae oratio non tam horrida incultaque est ut multa nativi sermonis propria insint. Diffusa est scilicet, iteratis verbis nimis abundans, ab elegantia et varietate Ciceronis longe semota, sed nullum repperimus vocabulum barbarum, perpauca quae non in litteris vere Latinis exstant. Sed in eo nonnumquam Romanica potius quam Latina visa est quod verba quaedam non sententia solemni, sed ea quam consuetudo usualis elicuerat, adhibuit, deinde quod cum legibus Latinis utrumque licebat id semper aut plerumque optavit quo sermone cotidiano assueverat. Accedunt quaedam quae ad declinationem coniugationemque spectant, in quibus ut ita dicam erravit.

Pleraque cum in omnibus linguis Romanicis (Dacica omissa) appareant, perpauca in nulla, ex eis patria eius cognosci videtur quae in una aut altera regione seorsum a ceteris usu feruntur. Nulla sunt Lusitanicae Hispanicaeque linguae vestigia. Nam quae Angladius qui post Ferotinum non sine aliqua doctrina operam navavit ut illa reperiret, protulit, aut a Geyero Archiv

[1] Meyer-Lübke III 190. 782.

f. lat. Lex. XV 246 profligata sunt aut obiter in hac dissertatione iam refutata aut paucis nunc repellenda.

virgultas Acc. Plur. dummodo ne librariorum sit qui saepius -*s* falso vel addiderunt vel omiserunt, potest Gallici ipsius quoque vel Italici sermonis esse quoniam *folia, ligna* similia ubique ad feminina transierunt[1]. Licet autem inter verba Italica Occitana Francogallica a lexicographis non enumeretur, tamen non solum Hispanicarum dialectorum hoc verbum femininum, sed etiam glossarum Latinarum esse Angladium fefellit ne ipsum quidem[2].

stare quo Aetheria saepe ita utitur ut a copula prope absit, etiam apud omnes Galliae populos et Italicos aliquas illius partes excepit. *sedere* quod ipsum quoque paene pro *esse* scriptum est[3], et utrum in futuro copulae Romanicae (ut fr. *serai*) insit, dubitatur et a Latinis auctoribus qui Hispani non sunt, eadem sententia usurpatur ut in itinerario Antonini Placentini p. 161, 14 G. 'sedit in sinagoga tomus'.

Deïnde Aetheriae vox *tenere consuetudinem* a bibliis non differt; cf. Mc. 7, 3 'tenentes traditionem seniorum' Act. 27, 3 'aestimantes propositum se tenere'. Ab eisdem ne *subire* quidem discrepat quod idem atque *ascendere* valet; cf. Ioann. 6, 3 'subiit ergo in montem Iesus'. Itaque haec pro Hispanismis haberi non possunt.

Pronomen reflexivum *se* 12 ies ante infinitivum collocatum, 15 ies post illum Angladius cum proprietatem Italicae Hispanicaeque linguarum putet quia in linguis Galliae praeponitur, nimis numeris confidit.

Participium *venitum* — ut tandem rem absolvam — an non c. 27, 7 traditum sit, perquam dubito. Ceteri enim editores *ventum* in codice legerunt, *venitum* nemo nisi Bechtelii auctor cuius fidem nuper Heraeus in suspicionem vocavit (Archiv f. lat. Lex. XV 551).

Hispaniae igitur linguarum non solum nulla hic sunt vestigia, sed etiam indices, spero, neque incerti neque obscuri dialecti Galliae Narbonensis. Nam Aetheriae sermonis nonnulla aut ad Occitanam aut ad Italicam spectant linguam. Vocabulis *hostium* et *pullus*, quae cum illa potissimum convenire cum alii tum

---

1 Meyer-Lübke II 69.

2 Corp. gloss. Lat. V 336, 12 'virgulta virga'.

3 c. 19, 1 'miles ibi sedet cum tribuno suo'.

Paulus Geyer[1] disputaverunt, accedunt *liberare*, *primus*, *sic*, *bendicens*, *quadragesimarum septimanarum*que omisso verbo ‘tempore’, usus praepositionis *ad*, *paucus* cum adiectivo *parvus* commutatum (p. 374), quae Galliae esse videntur seorsum a ceteris terris peculiaria; deinde verba *ambulare* et *vadere* distincta, *manducare*, *transversare*, fortasse *martyrorum* ut Galliae Italiaeque communia sunt, ita ab Hispaniis abalienata. Contra Italiam (superiore excepta) terminatio-*ent* pro-*unt* saepe scripta et tempus imperfectum vocis ‘traversare habebamus’ facit. At in Italicam, non in Occitanam linguam quadrant *absolvere*, *camsare*, *dies dominica*, *sera*, *post* loco coniunctionis adhibitum. Itaque *intro* praepositionem Italicae Hispanicaeque linguis communem potius ad illam quam ad hanc referendam esse probabile est.

Sermo igitur Aetheriae nativus quantum inter Latinitatem adulterinam dispicitur optime convenit regioni et Rhodano et mari Mediterraneo propinquae, quam rerum argumentis patriam illius esse probavimus. Nam quod nonnulla sunt Italicam magis ad linguam quam ad Occitanam accedentia, fac memineris et hanc quantum medii aevi litteris nota est, ad Lemovicensium potissimum dialectum pertinere et sexto saeculo Massiliensium Arelatensium sermonem cotidianum Italis similiorem fuisse quam undecimo. Nempe ex quo a Francis haec regio occupata est, linguam quoque eius volgarem magis ab Italia ad ceteras Galliae partes accessisse omni puncto verisimile est.

Sed iam dimittamus Aetheriam abbatissam Paulae Hieronymianae successorem, tot feminarum doctarum, quae litteris Occitanis exortis in Gallia australi floruerunt, non indoctam antecessorem.

Lipsiae. Carolus Meister.

[1] De aliis quae idem Gallica esse olim voluit, quoniam incerta sunt, verba facere supersedeo.